
80- 35399
RS/68
a

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/gasparisaloysiod00oder



Carloni fecit

GASPARIS ALOYSI ODERICI

SOCIETATIS IESU

ACADEMICI ETRUSCI

AD

CAIETANUM MARINIUM

DE ARGENTEO

ORCITIRIGIS NUMO

CONIECTURAE.



ROMAE MDCCLXVII.

EX TYPOGRAPHIA IOANNIS ZEMPEL PROPE MONTEM IORDANUM.

Sumptibus Venantii Monaldini Bibliopolae in Viâ Curſus.

SUPERIORUM PERMISSU.

Eigentum der Universität
Frankfurt a. M.

LAURENTIUS RICCI
SOCIETATIS JESU
PRAEPOSITUS GENERALIS.

CUm opuſculum cui titulus = *Gaſparis Aloyſii Oderici Societatis Jeſu De Orcitirigis Numo ad Cajetanum Marinium Conjecturae* = aliquot ejuſdem Soc. Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis ad quos ſpectat, ita videbitur. Cujus rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munitas dedimus. Romæ die 2. Decembris 1766.

Laurentius Ricci.

ADPROBATIO.

CUm Rm̃i P. Ricchinii Magiſtri Sac. Apoſtolici Palatii mandato Librum *De Orcitirigis Numo* perlegiſſem, nihil in eo quidem alienum a morum ac Religionis integritate offendis: tantam vero ingenii ſagacitatem cum ſingulari antiquitatis intelligentia conjunctam comperi, ut famam ab eruditiſſimo Scriptore tot monumentis hactenus collectam, etiam inde auctum iri exiſtimem, atque aliis hujuſmodi operibus cumulatiorem in dies fieri vehementer cupiam.

XVIII. Kal. Jan. 1767.

Chriſtophorus Stay.

ADPRO.

ADPROBATIO.

QUam vere ſapienterque non ita pridem Cl. Praeſul Benedictus Stay palam edixerit, fore nempe ut aliis, iiſque praeſtantiſſimis in poſterum opibus Reſpublica litteraria, Gaſparis aloyſii Odericii Soc. Jeſu operâ ac labore diteſceret; facile cuivis licebit intelligere, qui haſce *De Orcitirigis Numo Conjecturas* adcurate perlegerit. Quae enim ad libri praeſtantiam, commendationemque valere plurimum ſolent, ea ſane omnia in hoc, mole perexiguo, re tamen ampliſſimo Commentario, meâ quidem ſententiâ, maximopere elucent. Quamobrem quum nihil in eo praeterea deprehenderim, quod Religioni boniſque moribus adverſetur, digniſſimum judico qui in lucem publicam proferatur, ſi ita Rm̃o S. P. A. Magiſtro viſum fuerit.

Dabam in Bibliothecâ de Comitibus Kal. Jan. 1767.

Joſeph Ant. Reggi Praefectus.

IMPRI-


IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

D. Archiep. Nicomed. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.



Fascia Canopi in fronte operis poſiti

GASPAR ALOYSIUS ODERICIUS

SOC. JESU

CAJETANO MARINIO

S.

ROgas me A. O. quem eſſe cenſeam *Orcitirigem* illum, cujus apud te eſt argenteus, nec inelegans numus. Iis ne aſſentiar, qui *Orgetorigem* nobilem illum potentemque Helvetium, cujus ingentes auſus, atque infelicem exitum Caeſar commemorat, ipſum eſſe, qui in Numis *Orcitirix* inſcribitur non dubitanter affirmant: an illos potius ſequar, qui Helvetio homini Numos graece non inſcriptos tribuendos negant? Difficilis, & veterum monumentorum inopiâ obſcura ſatis quaeſtio, ut non tam verbis exornanda, quam ſilentio praetereunda videatur. Sed quando ad ſcribendum pro-

vocas, & judicium omnino exquiris meum, quid de utraque opinione ſentiam, non invitus aperiam.

I. Ut ab iis igitur exordiar, qui *Orgetorigis* Numum eſſe ullum legitimum negant, qui latinis literis inſcriptus ſit, hos ego graviter peccare ajo, dum ſtatuunt, Helvetios *Orgetorigis* aetate graecas ſcribendo literas uſurpaſſe. Gravem illi quidem, & locupletem proferre teſtem ſolent C. Caeſarem, qui haec ſcripſerit [a]: *In Caſtris Helvetiorum Tabulae repertae ſunt literis graecis confectae, & ad Caeſarem perlatae: quibus in Tabulis nominatim ratio confecta erat, qui numerus domo exiſſet eorum, qui ferre arma poſſent*: Ex quibus inferre jure ſuo poſſe arbitrantur, quotquot latinam praeferunt inſcriptionem *Orgetorigis* Numi, adulterinos eſſe ac falſos [1]. Recte id ſane, ſi primum illud, ex quo iſtud efficitur verum ſit: neque enim aſſentior Ludovico Bochatio, qui ut Numorum αυθεντιαν tueatur, ex eorum illos numero eſſe vult, qui apud Romanos *Reſtituti* appellantur: atque uti Auguſti Numi a ſucceſ-

(a) De B. G. I. n. 16.

(1) „ Une medaille frappée par la nation dans ce tems-la „ auroit elle une legende en caractéres latins? on ne ſçauroit „ le croire: la piece donc eſt ſuppoſée &c. apud Bochat. Hiſt. „ Suiſſe Tom. I. pag. 585.

ſucceſſoribus percuſſi non minus legitimi ſunt, & ſinceri, quam quos Auguſtus ipſe ſignavit; ita legitimos, ac ſinceros eſſe *Orgetorigis* Numos latinas licet praeſeferant literas. Fieri enim potuiſſe, ut Helvetii, Romanis quamvis ſubditi, & latinam jam edocti linguam, Ducis ſui memoriam conſervandi cupidi veteres *Orgetorigis* Numos reſtituerint, & graecâ ſublatâ epigraphe, latinum adjecerint elogium. Hoc ni ſtatuamus *Arivos*, *Docios*, *Ninni*, qui eâdem, qua *Orgetorix* aetate vixerunt, numiſmata a Bouterovio vulgata adulterina etiam dicenda erunt. Haec ille (2). At ego nec Gallicos Bouterovii Numos falſos

(2) „ La medaille peut fort bien n'etre ſuppoſée, quoique „ les caractéres en ſoient latins, & qu'elle n'ait pas eté fait „ pendant la vie d'Orgetorix. Les medailles d'Auguſte frappées „ ſous les regnes de Veſpaſien, de Tite ... ne ſont pas moins autentiques, que celles, qui furent faites du vivant, & par ordre d'Auguſte même. Il n'eſt nullement improbable, que les „ Helvetiens voulans conſerver la memoire de leur fameux „ chef même depuis, qu'ils eurent ſubi le joug, & pris la „ langue des Romains euſſent fait renouveller un ancienne medaille d'Orgetorix dont les caractéres etoient grecs, ſans y „ faire d'autre changement, que celuy d'en mettre la legende „ en caractéres latins. Si l'on n'admet pas cette conjecture, il „ faudra declarer fauſſes les medailles d'Arivos, de Q. Docios, „ ou Docimos, chefs des peuples de la Saintogne, & celle de „ Ninno chef des Sequanois ... Ces illuſtres Gaulois etoient contemporains d'Orgetorix, les caractéres de leurs medailles ſont „ latins, le goûſt en eſt parfaitement ſemblable à celuy de la „ medaille de nôtre Helvetien &c. „ Bochat. l. c. p. 585.

falſos pronuncio, nec conjecturae huic ſubſcribo. Nam, ut illud omittam, an hujuſmodi *Numariae Reſtitutionis*, alia quam apud Romanos exempla extent, improbabile prorſus cenſeo *Orgetorigis*, hominis publicae libertatis hoſtis, qui regnandi cupidine patriam in apertum impulit diſcrimen, cujuſque facinus ingratam apud cives ſuos memoriam habere debuiſſe ipſe non diffitetur (3): improbabile inquam cenſeo *Orgetorigis* Numos, ſi qui unquam fuerunt, Helvetios reſtituere voluiſſe, quod ſi feciſſent, factum ſane perperam, quod graecam epigraphen abſtulerint; commodius ſane latinam veteri Celto-graecae adjungere: quorum bilinguium numiſmatum plura apud Antiquarios invenies. Ut Graeca, & Latina omittam, Demetrii III. Syriae Regis Numum *graece*, & *Phoenicie* ſcriptum habes apud Haymium (a); Jubae Mauritaniae Regis *Latine*, & *Punice* apud Maffejum (b); Oſicerdae, & Saetabi *Latine*, & *Hiſpanice* apud Mahudelium (c); Antigoni Judaeorum Regis *Graece*, & *Parthice* apud Froelichium (d).

(a) Haym. Muſ. Brit. To. I. Tab. X. n. 2.
(b) Maff. O. L. Tom. V. Tab. I. n. 9.
(c) Mahudel les Monnoy. d'Eſpagne. Ta. VII. n. 7. 9.
(d) Froel. Not. Elem. Num. T. XX. n. 5.

II. At

(3) „ Orgetorix avoit ſubi la peine de cet attentat ſur la „ liberté de ſes compatriotes: ſa memoire devoit être leur o„ dieuſe „ Bochat. l. c. p. 577.

II. At illud ſane mirum Auguſti Numos a Tito aliiſque *Reſtitutos* virum doctum commemoraſſe, neque animadvertiſſe iis ipſis conjecturam ſuam infirmari, quibus probabiliorem reddi putabat. Numiſmata enim illa, & *Reſtitutionis*, & *Reſtitutoris* apertum proferunt teſtimonium: leges illic v. g. TITUS. REST. DOMITIANUS. REST. at nullum neque in noſtro, neque in aliis Gallorum Numis (nam de iis idem prorſus dicas velim, quod de *Orgetorigis* Numo ſtatuo) nullum inquam *Reſtitutionis* indicium, quod tamen non praetermittendum videbatur. Neque vero opponat Gallienum Imperatorem deceſſorum ſuorum Numos ἀποθεώσεως cauſa percuſſos reſtituiſſe, quin ullum in iis *Reſtitutionis* indicium apponeret: nego enim Numos illos *Reſtitutos* proprie appellari poſſe, quod ante me vidit Bimardius [a]. Gallienus non ipſos Numorum, ut ajunt, *Typos* reſtituit, ſed Imperatorum ἀποθέωσιν Numis expreſſit, ut cuivis Numos illos inſpicienti manifeſtum erit. Sed his omiſſis illud videamus an Helvetii Caeſare in Galliis pugnante graecas uſurpaverint literas, ubi enim hoc conceſſeris, adulterinos eſſe *Orgetorigis* Numos legitime concluſum eſt me judice.

(a) Scien. de Med. Tom. II. p. 105.

III. Helvetios *Orgetorigis* aetate graece locutos multo-

multorum opinio fuit, Caeſaris, ut ajebam, autoritate innixa: gravis ſane, & quae me commoveret autoritas, ſi id, quod iſti contendunt, Caeſar voluiſſet. Verum enim vero, aut ego fallor, aut contrarium omnino Caeſar voluit. Id ut efficiam non eorum ego hic ſententiam amplectar, qui tabulas illas Helvetiorum, graecis quidem literis Celticâ autem linguâ conſcriptas volunt, quos docte ſolideque confutavit Franciſcus Hotomannus [a] pluribus oſtendens neque apud Caeſarem, neque apud alios probatos latinae linguae Scriptores locum eſſe ullum in quo, *graecis literis conſcribere uſurpatum ſit pro literarum formis exarare*. Aſſentior igitur tabulas illas tum graecis literis, tum graeco etiam ſermone conſcriptas: at idem nego adverſarios efficere ex his aliquid poſſe. Sic enim ſtatuo Caeſarem, qui nec minima quaeque, nec vulgaria ſcribendo perſequitur, novum aliquod, atque inſolens commemorare voluiſſe, cum linguam nominatim expreſſit, qua tabulae illae conſcriptae erant. Non tanti fuiſſet profecto, ut id in Commentarios referret, ſi graecas vulgo literas Helvetii uſurpaſſent; ignorare id nec Romani, nec Caeſar poterat, quibus jamdiu, & Gallia, & Helvetia cognita. At cum retulit novum, atque inſolens Caeſari viſum id fuit.

(a) Hoto.Com. in B.Gal. lib.I. C.VI.

ſuit. Deſinant igitur Caeſaris autoritatem nobis objicere; id unum efficere eâ poterunt, fuiſſe apud Helvetios, qui graecis diſciplinis exculti, graece, ubi opus foret, ſcribere poſſent, & ſcirent: id ultro damus, atque illud Hotomanno non aegre aſſentimur, nonnullos fuiſſe Caeſaris aetate inter Helvetios ſive viros nobiles, ſive Sacerdotes, qui graecam a pueris linguam Maſſiliae fortaſſe, diſcerent; eâdemque majores, atque illuſtriores res, quaeque nota minus vellent ad ſuum privatum uſum conſcriberent. At graecam linguam vulgo apud Helvetios uſurpatam, ut quae graece ſcripta non ſint, ea Helvetiis tribui nequeant, id enim vero nullo ſatis probabili argumento demonſtratum eſt.

IV. Quid quod ne ipſi quidem Gallo-Celtae, quorum per ea tempora Helvetii pars fuerunt, graece vulgo, vel loquebantur, vel ſcribebant? Non uno id veterum teſtimonio effici poſſe arbitror. Ac primum id ſatis oſtendit Caeſar, quum ad Q. Ciceronem ſcripturus graecas dedit literas, ne delatâ ad hoſtes epiſtolâ quid ipſe moliretur agnoſcerent [a]. *Tum cuidam ex equitibus Gallis perſuadet magnis praemiis, uti ad Ciceronem epiſtolam deferant, hanc graecis conſcriptam literis mittit, ne interceptâ epiſtolâ*

(a) B. G. V. 19.

ſtolâ noſtra ab hoſtibus conſilia agnoſcantur: inutilis haec cautio, ſi graeca apud Gallos lingua uſurpata. At ne hoc ad eos pertinere quis fortaſſe dicat, qui a *Provinciâ*, & Graecorum coloniis longius aberant; in Nerviis enim agebat Caeſar, quum literas illas dedit; illud quaero, cur Caeſar graecae linguae ſcientiſſimus Gallos per interpretes alloqueretur, ſi vulgata apud eos Graecorum lingua? Atqui per interpretes Caeſarem cum iis collocutum fuiſſe ipſe teſtatur [a]: *Itaque priuſquam quidquam conaretur Divitiacum ad ſe vocari jubet*, *&* QUOTIDIANIS INTERPRETIBUS *remotis per C. Valerium Procillum principem Galliae Provinciae cum eo colloquitur*. Neque dicat Cluverius [b] *quamvis hodie etiam latina lingua per omnem fere Europam*, *atque in quovis vico ſciatur*; *interim tamen principes viros gentiumque reges haud raro reperiri*, *qui eâdem rudes*, *&* *ignari ſint*; non enim hìc contendimus graecam linguam Gallis prorſus ignotam; nullos fuiſſe, qui graece loqui ſcirent; ſed vulgarem, & communem gentis linguam, graecam fuiſſe negamus. *Quotidianos porro interpretes* dum Caeſar commemorat, ſatis aperte id, quod volumus oſtendit: non enim *quotidiani* adhibentur *interpretes*, ubi communis eſt, & vulgaris alicujus linguae

(a) B.G.I. 12.

(b) Germ. Antiq. lib.I. c. III. pag. 31.

guae uſus. Nec contemnendum Luciani teſtimonium apud quem [a] Mercurius, ſilentium Jovis in concilio quum indicere juberetur, ſic ſe apud Jovem excuſat. *Non omnes Jupiter graece intelligunt: ego autem non ita multarum linguarum peritus ſum, ut concionari poſſim, quae etiam Scythae, Perſae, Thraces,* CELTAE *intelligant: melius igitur puto fuerit manu ſilentium poſcere:* ubi vides *Celtas* eos inter referri, qui graece neſciebant. Huic locus alter addendus, ubi Gallo cuidam laudi tribuit [b], quod graece loqueretur: *Sed Gallus aliquis adſtans non ineruditus etiam noſtris literis, quod declaravit accurate loquens graece, popularium ſuorum more, ut arbitror Philoſophus*: ex quibus ſane tanto poſt Caeſaris in Galliis pugnas intervallo graecam linguam apud Gallos vulgarem non fuiſſe manifeſto diſcimus.

(a) Jupit. Trag. n. 13.

(b) Herc. T. III. pag. 84.

V. Sed video quid opponi his poſſit, ac primum *Chyndonactis* Gallorum Sacerdotum principis tumulus Divionenſi in agro ſaeculo XVI. labente repertus, cui graeca haec epigraphe inſculpta [c]:

(c) Montf. Pal. Graec. pag. X. Antiq. Tom. II. pag. 432.

„ Μίθρης ἐν ὀργάδι κωμα τοσωμα καλυπτει

„ Χυνδόνακτος ἱερεων αρχηγȣ̃

„ Δυσεβης ἀπεχȣ, λυσιοι κονιν ὁρωσι

Mithrae in luco hic tumulus tegit corpus.

 Chyndo-

Chyndonactis Sacerdotum principis
Impie diſcede, manes cinerem tuentur.

2. Caeſaris ipſius autoritas, qui publicas privataſque rationes graecis apud Gallos literis ſcriptas autor eſt: *neque fas eſſe exiſtimant ea literis mandare, quum in reliquis ferme rebus publicis, privatiſque rationibus graecis literis utantur* [a]. 3. Strabonis teſtimonium, qui Maſſiliam Barbaris loco ludi literarii patefactam tantum literarum graecarum apud Gallos ſtudium excitaſſe ait, ut contractuum quoque formulas graece ſcriberent [b]. At haec poſtrema de ſua aetate Strabonem locutum certiſſimum eſt, quamvis id neget Caſaubonus [c]. Sic enim Strabo ὥσθ᾽ ἡ πολις ΜΙΚΡΩ μεν ΠΡΟΤΕΡΟΝ τοις βαρβαροις ἀνειτο παιδευτηριον &c. Adde quod de Gallia Narbonenſi, quae *Provincia* appellabatur, in qua Maſſilia fuit, intelligi commode poſſunt. Superiora vero Caeſaris, ſi quis non ad Gallos univerſos, ſed ad Druidas, quorum eo loco Caeſar res pertractat, pertinere contenderit, is non improbabili reſponſione ſatisfecerit; quin ſi idem Divitiacus ille, quem Cicero Druidarum doctiſſimum appellat [d], & quo cum Caeſar collocutus eſt, ne Druidas quidem omnes graecis literis excultos fuiſſe manifeſtum eſt, ut ab aliis obſervatum jam

(a) B. G. VI. 5.
(b) Strab. l. IV. pag. 181.
(c) In not. ad Strab. l. c.
(d) De Div. 1.

jam fuit. Quamquam ſi libere, quod ſentio proferre licet, malim cum Hotomanno [a] vocem illam *Graecis* a contextu removere, *quâ remotâ*, inquit vir doctus, *idonea, atque integra huic loco ſententia conſtabit hoc modo: in ſola Druidum diſciplina literis, & ſcriptione non utuntur, caeteris in rebus omnibus utuntur: itaque mihi perſuaſum eſt vocem* Graecis *adulterinam eſſe*. Suſpectam Scaligero fuiſſe, ex nitidiſſimâ ejuſdem editione, in qua vox illa uncis includitur, non temere auguror. At legitima ut ſit, atque ad Gallos omnes referre eamdem oporteat, nihil tamen conturbor; nam quum ſcribat Caeſar *in reliquis fere rebus* graecas a Gallis literas uſurpatas, ſatis aperte oſtendit, multa fuiſſe, in quibus propriis uterentur literis. Horum in numerum pecuniam ſi referam, contrarium nemo evincet; atque illud, quod initio dicebam ſatis conſtabit, peccare eos, qui veterum Gallorum Numos, ſi latinis elementis inſcripti ſint, adulterinos cenſent. De *Chyndonactis* elogio, non eſt cur ſollicitus ſim: privati hominis & Druidae inſcriptio, eorum quae diſputo autoritatem nihil imminuit. At non deſunt, qui *Chyndonactem*, nec Gallum, nec Druidam fuiſſe putent; ſed graecum hominem Aureliano Aug. So-

(a) In C. IV. l. VI. B. G.

lis

lis fortaſſe in Galliis Sacerdotem, uti Baudelotio viſum eſt [a]: gravior etiam Montfalconii cenſura, qui epigramma illud ab ipſo Guenebaldo [b], cujus in agro urna illa reperta eſt, veteri ſaxo inſcriptum cenſet; rectene, an ſecus alii videant.

(a) Util. de Vojag. T.II. p.100.
(b) ll. cc.

VI. Sed nae ego imprudens, qui *Beterrarum*,



Bituii,

Bituii, *Bituci*, & *Balani* numiſmata graece inſcripta non animadverterim, quibus graecam apud Gallos linguam ipſis in Numis uſurpatam liquido conſtat? Factum ſane imprudenter, ſi Gallo-Celtica numiſmata haec ſint. At ΒΗΤΗΡΡΑτων Numos ad Gallos pertinere negat Harduinus, atque eos vel *Betarrhoni* Phoeniciae urbi, vel ignoto cuidam Syriae oppido tribuit [a]: negant Froelichius, aliique docti viri [b], & vel Betarrhoni Phoenicum cum Harduino, vel Beterris Palaeſtinis vindicant. Aſſentiar tamen Holſtenio, Spanhemio, Liebeo, & *Beterris* Septimanorum, quas *Blyteras* Plinius [c] appellat, Numos illos non invitus cum iis [d] tribuam; praeſertim cum in Galliis effodi ſoleant. & ipſa Numorum fabrica Graecos non eſſe oſtendat. At non idcirco causâ cadam: non enim de Gallia Narbonenſi hìc diſputamus, cujus incolas a Maſſilienſibus graece loqui paulatim edoctos fuiſſe, nec inficiari audeo, nec miror, cum apud Juſtinum legam Celticum virus Maſſilienſibus munditiis adeo depulſum, ut in Graeciam Gallia translata videretur [e]: *Condita igitur Maſſilia eſt prope oſtia Rhodani amnis in remoto ſinu, veluti in angulo maris. Sed Ligures incrementis invidentes Graecos aſſiduis bellis fatigabant.*

(a) Num. pop. not. in Plin. III. Sect. IV.

(b) Froel. l. c. c. VI. p. 78.

(c) Plin. H. N. III. 4.

(d) Holſt. n. in Steph. v. Bait. Spanh. diſſe. IX. edit. ann. 1671. p. 904 Lieb. Gotha Num. C. V. §. XIV.

(e) Juſtin. lib. XLIII.

Qui

Qui pericula propulſando in tantum enituerunt, ut victis hoſtibus in captivis agris colonias conſtituerent. Ab his, Maſſilienſibus, *Galli, & uſum vitae cultioris depoſita barbarie, & agrorum cultus, & urbes moenibus cingere didicerunt; tunc, & legibus non armis vivere, & vitem putare, tunc olivam ſerere conſueverunt; adeoque magnus, & hominibus, & rebus impoſitus eſt nitor, ut non Graecia in Galliam, ſed Gallia in Graeciam translata, videretur*. Quae ad eam Galliam, quae Narbonenſis deinde dicta eſt, pertinere viri docti conſentiunt: neque enim hujuſmodi erat Gallia reliqua, Caeſaris aetate, de qua diſputamus.

VII. Paullum me commoverent *Bituii*, & *Bituci* regum numiſmata, ſi haec, quemadmodum Begerus fecit [a], Sphanhemio non improbante [b], ad Arvernorum illum regem Luerii filium referenda forent, qui Straboni [c] βιττος, Athenaeo [d] βιττύιτος, Livio [e], aliiſque Latinorum Bituitus dicitur, *Betultus* tamen dicendus fuit, ex hoc Faſtorum Triumphalium fragmento, a Grutero, Pighio, aliiſque [f] evulgato, quod hìc iterum ex αυτογραφῳ Muſei Kirkeriani, quo tandem commigravit, diligentiſſime deſcriptum tibi propono:

(a) Beg. Th. Br. T. III. p. 6.
(b) Spanh. Diſ. I. pag. 52. Diſ. VIII. p. 557.
(c) Strab. l. IV. pag. 191.
(d) Ath. lib. IV. pag. 152.
(e) Liv. epit. lib. LXI.
(f) Grut. pag. 298. 3. Pig. An. Tom. III. p. 56.

SAL-

SALLVVEISQ. (α) .....

C. SEXTIVS. C. F. C. N. CALVIN PROCO.... (a. 630.

DE LIGVRIB. VOCONTIEIS (β). SALLVVEISQ...

L. AVRELIVS. L. F. L. N. ORESTES PRO AN. ƆC (631.

COS. EX SARDINIA. VI. IDVS DEC. ...

Q. CAECILIVS. Q. F. Q. N. METELLVS A. ƆCX... (632.

BALIARIC. PROCOS. DE BALIARIB. PR.....

Q. FABIVS. Q. AEMILIANI. F. Q. N. A. ƆC.... (633.

MAXIMVS. PROCOS (*). DE ALLOBROG.....

ET. REGE ARVERNORVM. BETVLTO. X. K....

CN.

(α) *Salluveis*. Salluvii, Ligurum Trans Alpes celeberrimi teſte Plinio (a). Eos Σαλικας appellat Ptolemaeus: eorum Urbes ex eodem Ταρουσκών, Γλανον, Αρελᾶτον κολώνια, ὕδατα Σεξτια κολ. Ερναγινον. (a) Plin. H. N. III. 5.

(β) *Vocontieis*. Vocontii, alia Ligurum Trans Alpes natio, quam Orientalem Delphinatus partem tenuiſſe putat Harduinus. Vocontiorum Urbes, *Vaſio*, Ptolemaeo όυασιων, & *Lucus Auguſti*, memorantur a Plinio (b). (b) Id. l. c. c. 4.

(*) Livii epitome: *Qu. Fabius Maximus Conſul Paulli Nepos adverſus Allobroges, & Bituitum Arvernorum Regem feliciter pugnavit*: lege ex hoc lapide, *Proconſul*, & *Betultum*.

CN. DOMITIVS. CN. F. CN. N. AHENOBARB A... (633.

PROCOS. DE GALLEIS. ARVERNEIS. XVI. K....

L. CAECILIVS L. F. Q. N. METELLVS ANN. DCX..(635.

DELMATIC. PROCOS. DE. DELMATEIS. III. N...

Q. MARCIVS. Q. F. Q. N. REX. PROCOS AN. DCX.(636.

DE LIGVRIBVS. STOENEIS (γ). III. NON. DE....

M. AEMILIVS. M. F. L. N. SCAVRVS COS (638.

DE GALLEIS. KARNEIS (δ). V......

M. CAECILIVS. Q. F. Q. N. MET..... (640.

CÖS. EX. SARDINIA......


Sed

(γ) *Stoenis*: Ligures Stoeni ubi fuerint incertum: inter Alpium Grajarum accolas collocat Pighius (a); maritimam gentem fuiſſe putat Cellarius (b). An iidem ſint, quos Strabo (c) *ςονος* vocat, vehementer dubito. *Stonos* Euganeorum caput memorat Plinius (d): at nihil ad Stoenos a Marcio victos pertinere puto, contra quam ſuſpicatur Maſſejus (e). Interim Livii epitomen ex hoc lapide corrige, & pro *Stonos*, leges *Stoenos*.

(δ) *Karneis*: Gallos Karnos trans Padum ſupra Venetos collocat Strabo: eorum oppida mediterranea ex Ptolemaeo Forum Julium, Concordia, & Aquileia (f) *τῶν δε Καρνῶν Μεσογειοι Φορος ἰουλιος κολονια, Κονκορδια κολ. Ακουληια κολ.*

(a) Pigh. Anna. T. III. p. 93.
(b) Cella. To. I. l. II. C. VII. §. 24.
(c) Strabo lib. IV. p. 204,
(d) Plin. li. III. c. 20.
(e) Maff. Ver. Il. T. I. l. V. p. 196.
(f) Ptol. l. III. c. I.

Sed ad Numos redeo : negant Oudinetus, de Boze, & Bimardius [a] ad Arvernos Reges eos quidquam pertinere; & *Bituii* quidem numiſmata *Bituio Gogodiatori* illius filio, qui Pompej aetate apud *Galatas-Trocmios* regnabat, tribuenda eſſe docent: non temere, quum hic alius extet hujuſce Bituii Numus



patris nomen Bimardio interprete praeferens, leges enim ΒΙΤΟΥΙΟς ΓΟΓΟδιατορȣ ΒΑCΙΛεος. *Bituci* vero Numos *Adiatorigis* filio tribuunt, quem Δυτευτον vocat Strabo [b]; quique ab Auguſto Comanae Urbis pontifex, & princeps creatus fuit: Comanae porro pontifices, & principes *Regis* ſe titulo ornare conſueviſſe aliorum exemplo vulgatum. Sic idem Strabo [c] *Lycomedem*, ſeu *Nicomedem*, quem Julius Caeſar Comanae principem conſtituerat *Regem* appellat. Vide haec pluribus differentem Bimardium. Illud tamen hic ab eodem obſervatum non praetermittam; horum numiſmatum nullum unquam in Galliis repertum,

(a) Scien. des Med. Nouv. Decov. n. 1.

(b) Strab. lib. XII. p. 558.

(c) Id. l. c. pag. 560.

pertum,

pertum, omnia ex Oriente aſportata, quod quanti ſit, opinor, intelligis.

VIII. *Bituii*, *&* *Bituci* Numis a Gallia Tranſalpina abire procul juſſis, reliquum eſt, ut de Balani numiſmatibus a Froelichio evulgatis diſſeram. Balani vetuſtiſſimi Gallorum Regis meminit Livius [a] Cos. Q. Marcio Philippo, & Gn. Servilio Caepione: *dum bellum in Macedonia geritur legati trans-Alpini a regulo Gallorum (BALANI ipſius tradunt nomen, gentis ex qua fuerit non tradunt) Romam venere pollicentes ad Macedonicum bellum auxilia gratiae actae a Senatu muneraque miſſa &c.* Huic Balano Numos hoſce tribuit Froelichius [b], eumdemque non procul a Maſſiliâ regnaſſe arbitratur: *Forſan etiam Balanus haud procul Maſſiliâ Urbe, pervetuſtâ illâ Phocenſium coloniâ, rerum potitus eſt*. At haec dum ſtatuit, nihil jam mihi, qui graecae urbis vicinitate, & Graecorum commercio Gallos conterminos graecam linguam edoceri, eàdemque publice privatimque uti tandem potuiſſe non diffiteor; nihil inquam mihi ex his Numis pertimeſcendum, tute ipſe intelligis opinor. Quid ſi Balanus hic diu poſt Caeſaris, atque *Orgetorigis* aetatem vixerit? Non enim mirum duos fuiſſe ejuſdem nominis reges longo inter


(a) Liv. lib. XLIV. n.14.

(b) Froel. Acceſs. ad Num. Anecd. p. 85.

ſe

ſe intervallo diſſociatos, nihil frequentius regnorum hiſtoriae oſtendunt.

IX. At ego nullus dubito, quin in Aſia requirendus *Balanus* hic nobis ſit. Perſuadet id primum ipſa Numi Fabrica, quae Froelichio antequam de *Balano* tranſalpino cogitaret, Meſopotamica non Gallica viſa eſt [a]; tum nimirum, cum hunc illuſtraret Numum, in quo detritâ priori literâ, pro ΒΑΛΑΝΟϹ, legebatur ΑΛΑΝΟϹ. Ipſa deinde regis effigies id luculentius confirmat:



imberbe enim, & crinibus attonſis caput, comatum capillatumque regem, cujuſmodi Tranſalpinos Gallos fuiſſe nemo neſcit, minime decet. Hoc grave adeo Sperlingio viſum, ut hac potiſſimum de cauſâ negare auſus ſit Numos ullos a Gallis percuſſos ante Romana arma in Galliam inlata. *Nullum ex iis*, inquit [b], *quos protulit Buterovius obſervavi, qui non Romanis debeatur, illorumque coloniis in Galliam deductis, aut illorum autoritati, jus monetae Gallis quae conceſſit. Sub illorum auſpiciis Eburovices, Aulerci, Dornacus...memoriae tamquam numinum gentis nummos ſuos ediderunt*,

(a) Id. Num. Anecd. p. 127.

(b) Sperl. de Num. non Cuſis. c. 37.

runt, & dicarunt. Ab illis temporibus, quando Galli Romanam majeſtatem conſervare coeperunt hi nummi deducendi ſunt. Ipſa figura, & pondus nummorum iſtorum ſimile Romanis hoc evincunt: nec video qua ratione ad anteriora tempora trahi poſſint: imo ſatis pelluceat ante Romana arma Gallis proprios Numos cuſos nullibi fuiſſe. Ubi enim caeſaries illa, illa barba immiſſa, quam omnes hiſtoriae Gallis antiquis tribuunt? In nullo nummorum iſtorum apud Bouteroüe haec ſigna ſpectantur, niſi in longe pauciſſimis: ſed Deorum, Dearumque Romanarum effigies, hominum capita more Romanorum tonſa, genae raſae, & imberbes, quae certo certius indicant tunc cum hos nummos cuderent Galli, eos in Romanos mores, & habitus tranſiſſe. Haec ille, quae non omnia facile amplector, duo tamen ſunt, quibus non invitus ſubſcribam, primum imberbia, & tonſa capita veterum Gallorum, antequam ad Romanos mores declinarent, propria nequaquam eſſe: alterum ſculptas hiſce in Numis Deorum effigies, Romanas eſſe, non Celticas; quae duo, tum eorum Numorum, quos Bouterovius vulgavit vetuſtatem infirmant; tum hunc potiſſimum *Balani* regis nomine inſcriptum tranſalpinis Gallis eripiendum monent, cum in eo imberbe

be attonſumque caput inſculptum ſit alterâ in parte, in alterâ vero *Taedifera Ceres* exhibeatur. Gallis enim anno V. C. 58 $\frac{4}{5}$ quo Coſs. fuere *Philippus*, & *Caepio*, quinquaginta ferme annis antequam Romana arma in Gallias intrarent; haec enim, ut noſti, primus in eas intulit M. Fulvius Flaccus[a] qui anno V. C. 630. de Liguribus Vocontiis, Salluviiſque triumphavit, una cum C. Sextio Calvino, cujus meminit Kirkerianus lapis, quem ſupra deſcripſi; Gallis inquam circa annum 584. Cererem notam fuiſſe nulla ſatis certa docent monumenta, ut Banierius[b] animadvertit: ſed ut fuerit cognita, illius in Numis effigiem caelaſſe Gallos nullatenus probabunt, cum Deorum ſimulacra, ſtatuas, imagines non multo ante Caeſaris bella apud Gallos uſurpari caepta ſint, atque illud vere ſcripſit Anonymus, qui de Gallorum Religione duobus voluminibus Gallice diſſeruit, accuratius utinam, & κριτικοτερως, illud inquam vere ſcripſit(4) Celtis ſolemne fuiſſe, ut Templa, Statuas, Deorum pictas ima-

(a) Liv. epit. l. LX. Flor. l. III. c. 2.


(b) Ban. Myth. T. V. lib. VI... X.

(4) „ La Religion des Gaulois dans ſon origine, & preſque „ juſq'a Caeſar faiſoit ſon capital de n'avoir, ni temples, ni „ ſtatues, ni peinctures des Dieux . . . tous ſes Dieux étoient „ ou des arbres, ou des bois, ou des marais „ De la Relig. de Gaul. T. I. lib. I. c. III. p. 18.

imagines, pene uſque ad Caeſarem nullas haberent; ſed Arbores, Luci, Lacus pro Deorum ſtatuis, templis, imaginibus haberentur. *Celtae colunt Jovem*, inquit Maximus Tirius[a] *Celticum vero Jovis ſignum altiſſima quercus*.

(a) Max. Tir. Or 38.

X. Quamquam ſatis vereor, ut eo in Numo Ceres ſculpta ſit, quemadmodum ſibi Froelichius perſuaſit; attentius enim *typum* Numorum illorum conſideranti virilem vultum, & effigiem videre illic mihi videor; neque aliter ſentiet, opinor, qui pileatam, & alte ſuccintam effigiem, cum in ſuperioribus *Balani* Numis, tum in hiſce aliis aſpexerit.



Hinc non levis orta mihi ſuſpicio Λαμπαδοδρομον illic aliquem exhiberi ex iis, qui lampade accenſâ in Λαμπαδηδρομιαις currere conſueviſſe non ignorabis, quorum Herodotus, Ariſtophanes, Pauſanias, aliique veterum meminere[b]: ex recentioribus vero Meurſius, Caſtellanus[c], & qui de

(b) Herod. lib. VIII. n. 98. Ariſtoph. in Ran. a. III. ſ. 2. v. 82. Pauſan. Attic. c. 30.

(c) Meu. Graec. Fer. v. λαμπ. Panath. &c. Caſtell. de Feſt. Graec. &c.

de Graecorum Feſtis commentari ſolent. *Lampadum certamina tria fiunt in Ceramico Minervae, Vulcano, Prometheo*, inquit Ariſtophanis Scholiaſtes; Tribus hiſce quartum Pani ſacrum addo ex Herodoto, qui Gronovio interprete: *his verbis*, inquit[(a)], *fide habitâ Athenienſes, quando eorum tandem ſtatus bene conſtitutus erat, exſtruxerunt ſub Arce Templum Panis, illique annuis Sacrificiis, ex quo nuncium accepere ſacrificant, & Lampadis curſu ſupplicant*: Curſum hunc a ſuperioribus diverſum omnino eſſe nullus dubito, neque aſſentior Meurſio, qui ex hoc Libanii loco[(b)]: Μηδ' ὀρα-θωτοίω ὁ βωμος μεχρις ἀνθεραπευνται παναθηναιοις μὲν Ἀθηνᾶ; Μυστηριος δὲ Δημητερ τῆ λαμπάδι δὲ ὁ Παν, και των ἀλλων εκαστος θεων τοῖς παλαιοις νομιμοις. *Quare ne videatur quoque Ara, quamdiu certe coletur Panathenaicis Minerva, Myſteriis Ceres, Pan Lampade, atque aliorum Deorum quiſque antiquis ritibus*: ex hoc inquam loco ſuadere conatur curſus illos omnes Pani ſacros fuiſſe: *ut ſingula ſingulis ſacra, ita uni Pani univerſa*. Quae porro in his omnibus currendi ratio foret docet Pauſanias: *In Academia*, Academia, ne Pauſaniam, & Scholiaſten diſſentire putes, & Ceramicum extra urbem poſitum unum eumdemque locum eſſe, ſeu potius Acade-

(a) Herod. lib. VI. n. 105.

(b) Liban. Or. XIV. p. 418.

Academiam hujus Ceramici partem fuiſſe, pluribus oſtendit Meurſius [a]: *In Academia Promethei ara eſt, a qua Lampades accenſas praeferentes homines in urbem decurrunt. In eo certamen eſt, ut in curſu accenſae conſerventur, cujus enim fax extincta fuerit, is victoriam proxime ſequenti cedit, eademque ratione ille tertio; quod ſi nulli ardentem facem ferre licitum fuerit, palma in medio relinquitur*. Facem hanc alterum alteri currendo tradidiſſe, ex veteri Perſii Scholiaſte, Meurſius, aliique augurantur. *Apud Athenienſes*, inquit Scholiaſtes [b], *cum juvenes curſu ludos celebrabant, qui victor eſſet primum facem tollebat, deinde ſequenti ſe tradebat, & ſecundus tertio ſimiliter omnes donec currentium numerus impleretur*. Aſt hoc Vulcanaliorum proprium fuiſſe ex Herodoto ſuſpicatur Wandalius [c]. Locus eſt libro VIII., ubi Perſarum curſores iis comparantur; qui in Λαμπαδηδρομίαις Vulcani currere conſueverunt: *quorum curſorum primus mandata tradit ſecundo, ſecundus item tertio, & ita deinceps illa mandata in alium, atque alium pertranſeunt, quemadmodum apud Graecos fax, quam Vulcano per vices ferre curſores perſeverant*: quae quoties attentius conſidero, atque cum iis confero, quae Ariſtophanes, & Pau-

(a) Meurſ. de Ceram. c. XX.

(b) Schol. Perſ. ad Sat. VI.

(c) Wand. diſſ. VI. C. V. p. 505.

& Pauſanias docent, dubitare ſoleo, an non ſuus cuique horum certaminum currendi modus, & ratio foret. Sed hoc doctioribus relinquo.

XI. Sic igitur ſuſpicor, ut ad *Balanum* redeam, illum vel alicui horum certaminum honoris causâ praefuiſſe; non enim ſine Praefecto, qui Βασιλεὺς dicebatur, ut autor eſt Pollux [(a)], haec certamina agebantur; illuſtris, & gravis etiam magnis impenſis praefectura, ſi Ariſtoteli credis [(b)]: vel ipſum potius, ſuâ in urbe Λαμπαδοδρομια celebraſſe, quorum deinde memoriam numis conſervatam ſuis voluerit. Non enim adeo Athenienſium propria fuiſſe hujuſcemodi certamina putandum eſt, ut alibi etiam celebrari nequaquam potuerint. Ter ea celebraſſe Alexandrum Magnum apud Arianum lego primum apud Solos Ciliciae urbem Ἀλέξανδρος δὲ ἐν Σολοις θύσας τε τῷ Ασκληπιῷ, καὶ πομπευσας άυτος τε καὶ ἡ ςρατιὰ πᾶσα, καὶ ΛΑΜΠΑΔΑ ΕΠΙΤΕΛΕΣΑΣ [(c)]: iterum Tyro captâ; καὶ ἀγῶνα γυμνικόν εν τῶ ἱερῳ καὶ ΛΑΜΠΑΔΑ ΕΠΟΙΗΣΕ [(d)]: tertio tandem Suſis: ἐν ταῦθα θυσας τῷ πατριῳ νομῳ ἀλέξανδρος, καὶ ΛΑΜΠΑΔΑ ΠΟΙΗΣΑΣ καὶ ἀγῶνα γυμνικον [(e)]: Latinus interpres graeca illa Λαμπάδα ἐπιτελεσας &c. interpretatur *collucentibus facibus*, ac ſi pompa, & gymnicum certamen cum facibus peractum fuiſſet;

(a) Pol.Onom. lib.VIII. c.IX. ſect. 3.

(b) Ariſt.Polit. lib.V. c. 8.

(c) Arrian.exp. Ale.M.l.II.n.5.

(d) Id.l.c.n.24.

(e) Id. lib. III. n.16.

in quo tamen Arriani mentem non eſt aſſecutus. Λαμπαδοδρομια haec Minervae ſacra fuiſſe non temere ſuſpicor; ac priora quidem ad Minervam ſpectaſſe ex iis conjicio, quae de Alexandro Solis commorante narrat Curtius [a]: *Vota deinde pro ſalute ſuſcepta per ludum, atque otium reddens oſtendit quantâ fiduciâ barbaros ſperneret, quippe Aeſculapio, & MINERVAE ludos celebravit*: reliqua duo eidem dicata fuiſſe facile dabit, quiſquis Minervam, *Tutelare* Macedonum *Numen* fuiſſe non ignoret, apud quos celebris Minerva Alcidas Pellae culta; facilius etiam, qui Minervam praecipuo honore Alexandrum veneratum fuiſſe, apud Diodorum, Plutarcum, Arrianum, & Curtium legerit. At non ita facile ſtatuere auſim, cuinam Deorum, ex iis quos nominavi, haec Balani certamina ſacra fuerint. Pileatam, & ſubcintam effigiem cum videam ad Vulcanum pertinuiſſe ſuſpicor; recte, opinor; quando ſimili habitu veteribus in monumentis effingi Vulcanus ſolet. Lampadis certamen Vulcano ab Athenienſibus celebratum, quod is ignis uſum homines edocuiſſet apud Harpocrationem legiſſe memini [b]: *Iſter in prima Atticarum*, ait, *quemadmodum in feſto Apaturiorum Athenienſium, pulcherrimas induti Stolas*

(a) Curt. li. III. c. 7.

(b) Ha. v. λαμπ.

Stolas ſumentes e foco ardentes Lampades Vulcanum celebrant, ſacra facientes memoriae causâ, quod is ignis uſum alios edocere excogitaverit &c. Quae vera ſi ſint non Argivi ſolum, qui Phoroneum ſuum ignis inventorem praedicabant, quemadmodum narrat Pauſanias [(a)], ſed Athenienſes etiam hanc Prometheo Japeti filio laudem invidebant. Ut enim noſti vulgaris fabula Heſiodi, Aeſchili, Sophoclis, Horatii, Luciani [(b)], aliorumque teſtimonio firmata *audax Japeti genus ignem fraude malâ gentibus* intuliſſe, qua de cauſa πυροφόρος θεὸς apud Sophoclem dicitur. Sed fortaſſe componi haec poſſunt, ſi dicas ignem a Vulcano repertum, ab Jove hominibus ereptum Promethei beneficio iiſdem reſtitutum, lego enim apud Heſiodum [(c)]:

(a) Pauſ. Corin. c. 19.

(b) Heſio. θεογ. Aeſchil. Prom. vinct. Sophoc. Oed. col. v. 55. Hor. Od. 3. li. 1. Lu. Dial. Prom. n. 3.

(c) Heſiod. ἐργ. κ̀ Ημ. v. 50.

„ Κρύψε δέ πυρ, το μεν αὖθις ἐΰς παῖς Ἰαπετοῖο
„ Ἔκλεψ᾽ ανθρωποισι Διὸς παρα μητιοεντος
„ Ἐν κοιλῳ ναρθηκι λαθών Δια τερπικεραυνον

Abſcondit vero ignem, Jupiter, *quem rurſus*
egregius Japeti filius
Subripuit ad hominum uſum Jove a conſulto
In cavâ ferulâ fallens Jovem fulminibus gaudentem.

Niſi mavis cum Diodoro, qui Vulcano reperti ignis lau-

laudem aliàs tribuit [a]; a Prometheo inſtrumentum, quo ignis elicimus dumtaxat inventum [b]. Ut ut ſit Συμβωμοι Vulcanus, & Prometheus, uti ex Pauſania paulo ante docui, firmatque ex Apollodoro Sophoclis Scholiaſtes apud Meurſium [c]: *colitur vero Prometheus etiam in Academia una cum Minerva, quemadmodum, & Vulcanus: eſtque illi ſimulacrum quoddam antiquum, ac Sacellum in Templo Deae. Oſtenditur autem vetus baſis in introitu, in qua Promethei ſignum, & Vulcani. Ac Prometheus, uti etiam Lyſimachides refert, primus factus eſt, & Senior dextra ſceptrum tenens, Vulcanus autem junior, & ſecundus. Ara praeterea communis utrique in baſi effi̇cta.* Quod ſenior factus ſit Prometheus non ſculptoris ingenio, ſed rei veritati tribues. Japetus enim Promethei pater Saturni natu minimi filiorum Coeli, ut ait Apollodorus [d], frater fuit. Ex Saturno Jupiter, ex Jove, & Junone, ſive ut alii fabulantur ex Junone ſolâ natus Vulcanus, Prometheo ut vides Junior. Secundo Apaturiorum die Vulcanalia haec peracta, ex eo Harpocrationis loco, quem nuper citavi conjicit Meurſius [e]: num id Iſter volverit cum dixit: ὡς ἐν τῇ τῶν Ἀπατουρίων ἑορτῇ Ἀθηναίων οἱ καλλίστας στολὰς ἐνδεδυκότες λαβόντες ἡμμένας λαμπάδας ἀπὸ

(a) Diod.Sic.li. I. n.13.
(b) Id.l.V.n.67.
(c) Meurſ. Cer. c. 25.
(d) Apoll. Bib. lib. I.
(e) Meurſius Graec. Fer. v. Ἀπατουρια.

ἀπὸ τῆς ἑστίας ὑμνοῦσι τὸν Ἥφαιστον θύοντες ὑπόμνημα τοῦ κατανοήσαντος τὴν χρείαν τοῦ πυρὸς διδάξαι τοὺς ἄλλους; aliorum judicium eſto, ego de diverticulo in viam tandem redeo.

XII. Hactenus Gallos graece nequaquam locutos oſtendimus, age nunc videamus an graeca ſaltem elementa ſcribendo uſurparint, quod placuiſſe nonnullis video, anonymo praeſertim, quem paulo ante nominabam. Fatetur hic quidem graeci ſermonis ignaros fuiſſe Gallos, idem tamen magnopere contendit graeca elementa, & caracteres a Gallis adhibitos fuiſſe. Atque illud quidem ex eo conficit, quod graecas Caeſar ad Ciceronem epiſtolas dederit, cum ſua ab hoſtibus conſilia ignorari vellet: hoc autem tum Caeſaris ejuſdem autoritate, Strabonis, & Plinii ſtatuit; tum Gordiani Martyris, & Galliae Nuncii epitaphio graecis elementis, latinoque ſermone conſcripto, atque unico veterum Galliae characterum monumento confirmari invictiſſime arbitratur (5). At ſua hominem opinio egregie


(5) „ Voicy une reflexion ſur l'antiquité des Gaulois, que „ perſone peut être n'a fait encore. Les Gaulois ſe ſervoient „ des caractéres grecs de l'aveu de Ceſar, de Strabon, de Pli„ ne; cependant ils n'entendoient point un mot de grec. Car „ Ceſar parlant d'une lettre, qu'il avoit envoie a Q. Ciceron. . „ il

gie fallit. Quid Strabo, quid Caeſar velit jam dixi, de Plinio nihil eſt, quod poſſim reponere, quando Plinii verba anonymus nec profert, nec eorum ullum exhibet indicium. Quod ſi forte Plinium eò ſuas in partes traxit, quod Druidarum nomen a Graeca voce ΔΡΥΣ [a] arceſſit, Plinium, Caſaubono, aliiſque autoribus, deceptum hac in re non timide pronuncio: *Non aſſentior*, inquit Caſaubonus [b], *Plinio conjicienti Druidas a voce graecâ eſſe appellatos*,

(a) Plin. H. N. XVI. c. 43.

(b) Caſaub. in Laer. Proem.

„ il ajoute, qu'il avoit écrit expres en Grec afin que les Gaulois ne peuſſent être inſtruit de ſa marche, au cas, que la lettre fut interceptée. LES GAULOIS ecrivoient DONC leur langue en CARACTERES GRECS, cela eſt INCONTESTABLE, non ſeulement parce que je viens de dire; mais encore par l'unique monument, qui ſoit reſté des anciens caractéres Gaulois. C'eſt cette inſcription ſepulcrale trouvée a Rome ſur un Tombeau du martyr Gordien meſſager des Gaulois.



Rel. de Gaul. Tom. I. pag. 38.

tos; quin potius Strabonis prudentiſſimum conſilium ſequor, negantis in appellationibus gentium barbararum graecas etymologias eſſe quaerendas. Sed de hujuſce nominis veriloquio a veteribus Septemtrionalium linguis deducto, vide Baxterum, & Haſaeum [a]. Quam porro illud ridiculum, ut Gallorum vetuſtiſſimos graecis elementis ſcripſiſſe oſtendat, epitaphium Romae repertum proferre, quod etſi ad Gallum pertineat, medio ſaeculo II. ut citius, exaratum fuit? Aeque mihi ridendus, ac ille quiſquis fuerit, qui [b] Aegyptios Attidii in Piceno Marmoream Camurio Tabulam inſcripſiſſe; vel ſaltem ex Aegypto Attidium tranſtuliſſe opinatur, quod in ea Heptanomus, & Arſinoitae nominentur. Praeclara ſane conjectura! Hunc porro lapidem, qui apud Muratorium turpiter deformatus eſt, integrum, atque emendatum dabo, ubi de *Orcitirige* dicendi finem fecero, & quando his magnopere muneribus delectaris duo alia adiciam veterum monumenta Salutiis non ita pridem reperta, atque ab Amico ad me miſſa. Ad anonymum revertamur, cui confutando illud etiam accedit, quod alia extent ſimilibus rudibus, atque inconcinnis caracterum formis inſcripta veterum monumenta, quae cum ad Galliam nequaquam

(a) Baxt. in lexic. Haſae.diſs. Philolog. n. X. pag. 615.

(b) Apud. Mur Inſcr. p. 1096. n. 3.

quaquam ſpectent, aperte demonſtrant, illam ſcribendi rationem, non Celtarum propriam, ſed iiſdem cum aliis etiam gentibus communem fuiſſe; cum iis ſcilicet qui καλλιγραφιας regulas ignorabant. Nec ridenda minus, quae de graecis apud Gallos caracteribus deinceps philoſophatur. Negat a Maſſilienſibus elementa haec Gallos habuiſſe; negat dici id ab eo poſſe, qui veterem hiſtoriam probe calleat(6). A Maſſilienſibus Gallos accepiſſe literas alii etiam negant; jure ne, an injuria, non hic quaero: illud quaero, an legitima negandi ratio videri cuiquam poſſit, quod iiſdem Helvetii quoque, & Germani uterentur? Non is profecto ſum, qui me hiſtoriae ſcientiſſimum praedicem, non video tamen quid contra hiſtoriam peccaturus ſit, qui Gallos a Maſſilienſibus, a Gallis Helvetios, ab his, vel a Gallis Germanos graecas literas accepiſſe dixerit? At Germanos graecis caracteribus uſos ex perperam intellecto

(6) „ Je demande au preſent, d'ou vient, que les Gaulois „ juſqu'aux Helvetiens, & aux Germains mêmes ſe ſervoient „ des lettres grecs ſans ſçavoir le grec? Dira-t-on qu'ils teno- „ ient cela des Phoceens de Marſeille? C'eſt tout ce qu'on pour- „ roit dire ſi les Germains, & les Helvetiens n'avoient pas eu „ les mêmes caractéres; mais comme cela n'eſt point; jamais „ perſonne bien inſtruite dans l'hiſtoire ne donnera ce reponſe. „ Id. pag. 41.

lecto Taciti loco, ſibi anonymus perſuadet. Narrat Tacitus [a] nonnullos ſua aetate fuiſſe, qui Ulixem Germaniam adiiſſe opinarentur, hujuſque rei teſtem proferrent Aram Ulixi ſacram adjecto Laertae patris nomine eodem in loco olim repertam; ad haec monumenta, & tumulos quoſdam graecis literis inſcriptos in confinio Germaniae, Rhoetiaeque adhuc extantes: *quae*, inquit, *neque confirmare argumentis, neque refellere in animo eſt*. Ex quibus nemo, arbitror, niſi anonymus, Germanos graecas literas uſurpaſſe jure concludet. Nec vero deſunt, qui Germanos Taciti aetate literas adhuc ignoraſſe, contendant, quod is ſcripſerit [b]: *Literarum ſecreta apud Germanos viri pariter, & mulieres ignorant*; *quod licet de literis amatoriis forte intelligendum viris doctis elargiamur*, inquit Bruckerus [c], *ignoratum tamen ſimul in ſcribendo uſum involvit*: quae ego hic nec probo, nec oppugno: ſed nec Schoedio aſſentiar [d], qui Germanos a Thuiſtone longe ante quam Cadmus in Graeciam navigaret literas edoctos cenſet. Aſt iterum anonymum audiamus. Quaerit cur non a Phocenſibus, una cum caracteribus linguam etiam Galli acceperint? Quî factum ſit, ut Graecorum elementa rudia adeo, ac barbara fuerint apud

(a) Tacit. de Mor. Germ. n. 3.

(b) Tacit. l. c. n. 19.

(c) Bruck. Hiſt. Phil. T. I. p. 314.

(d) Schoed. de Diis Ger. c. 18.

E Gallos,

Gallos, ac Maſſilienſibus caracteribus diſſimilia; hos enim multo nitidiores fuiſſe, reperta Maſſiliae vetera epigrammata ſatis teſtari [7]. Haec eo, ut vides, pertinent, ut Gallos a Maſſilienſibus literas nequaquam accepiſſe evincat. Sed fruſtra; primum enim dico caracteres a Graecis accipere Gallos potuiſſe, quin linguam etiam acciperent, uti a Phoenicibus accepiſſe Graecos fama eſt, linguam non item: deinde nego Gallos, eâ, de qua agimus, aetate, vel graece locutos, vel graecas uſurpaſſe caracterum formas: illud ſatis docui; hujus certa velim proferri monumenta, quae contrarium perſuadeant. Maſſilienſium epigrammata, ut nihil de eorum vetuſtate diſputem, eo nitidiora eſſe dico, quod Graeci peritioribus, quam Galli lapicidis uterentur.

XIII. Sed quando a Maſſilienſibus literarum formas habuiſſe Gallos negas, dic age a quibuſnam tandem edocti ſcribendi modum, & regulas didicerint. Ipſi, inquit [8], ex Aſia in Europam literarum ele-

(7) Mais pourquoi les Gaulois ne prirent ils pas auſſy la „ langue des Phoceens, d'ou vient, que les caractéres grecs „ étoient ſi barbares, ſi differens, & n'avoient nulle propor- „ tion avec le caractéres grecs des habitans de Marſeille, qui „ ſont venus juſqu'à nous par le moin des inſcriptions trouveé „ à Marſeille. „ l. c. pag. 42.

(8) „ Ils les avoient porté d'Aſie en Europe . . . ces cara-

elementa detulere, nec alia, quam quae in Graeciam deinde intulit Cadmus. Rudes, *Jejunas* cum tamdiu apud Gallos fuiſſe literas videas, an non ſentis, eas a Maſſilienſibus nequaquam deſumptas? Hi enim graecas literas ab Homero jam expolitas, atque auctas in Galliam intulerant. Si Homerum nacta aliquem Gallia fuiſſet, nec rudes adeo literas habuiſſet, nec earum plurimis caruiſſet. Ad haec *Celtarum* lingua, eadem ac Phoenicia, quam Cadmus in Graeciam tranſtulit; Celtarum Deorum nomina Celtica aeque ac Graeca, eadem illis apud Celtas, & Graecos ſubjecta notio. Papae! quam praeclara haec, & peregrina! Vellem indicaſſet, unde nam hauſerit Homerum Graecorum caracterum formis expolien-

„ ctéres, que Ceſar appelle grecs étoient ceux la même, „ que Cadmus avoit porté en Grece. La rudeſſe, & ce qu'on „ appelle *affamé* dans l'eſpece particuliere, qu'ils conſerverent „ toujours dans les Gaules, eſt une preuve ſenſible de la ve„ rité, que j'avance. Les caractéres de Cadmus ne depouille„ rent leur rudeſſe, qu'à l'arrivée d'Homere, qui mis ſes ſoins, „ à les polir : le defaut d'un Homere dans les Gaules fit au „ contraire, que les lettres reſterent non ſeulement dans leur „ premiere groſſiereté, mais encore ſans le nombre complet. „ La langue des Celtes étoit auſſi la même, que celle, que „ Cadmus apporta de Phenicie en Grece, tous ces noms des „ Dieux Gaulois dont je parle dans cette ouvrage Eſus &c. „ ſont tous mots grecs auſſi bien que Celtes : auſſi ont ils la „ même ſignification dans la langue des uns, & des autres. „ Id. pag. 43.

poliendis incubuiſſe, nunc enim primum audio; ſed & multa alia latere me non invitus fateor. Verum his omiſſis, quaecumque fuerit vetus Celtarum lingua e Phoeniciâ ne, an ex Hebraeâ, an ex Graecâ deducta, ſuos ſententia quaeque Patronos habet [a]: haec ſunt, quae generatim dico primum parcius, ex hac vocum aliquarum communione, de linguarum origine diſputandum; facile enim ex unâ in aliam populorum vicinitate, & commercio vocabula commigrare conſueverunt, ex quo alterum ex alterâ deductum efficere jure nemo poſſit. 2. Non minus ſobrie de linguarum origine, & communione ex nominum veriloquiis pronunciandum: nihil quippe facilius acri eruditoque etymologo, quam cujuslibet vocis etymon ex quacumque libuerit linguâ adjectâ, vel immutatâ paululum literâ, ſeu ſyllabâ deducere; quorum multa ſane vidi ingenioſe, ac feliciter excogitata; at plura etiam duriter, violenter Diis, Deabuſque omnibus Superis, Inferis, Medioxumis invitis detorta. 3. Cadmum novas in Graeciam literarum formas attuliſſe, vetus eſt opinio pueris ipſis nota: verane an falſa diſputare hic non neceſſe habeo: fuſe de hac re Bouherius in egregia illa de priſcis Graecorum, Latinorumque literis diſſer-

(a) Vid. Scoefli. Alſat. Illuſtr. T. I. pag. 94.

diſſertatione. At illud velim ſcire, unde habeat anonymus Cadmaea, ſeu Phoenicia elementa illa, quae Cadmus in Graeciam intulit, a Gallis in Europam deportata. Quid ſi negem ullas habuiſſe eos literas cum ex Aſia profecti ſunt? Non temere faciam fortaſſe, habeo enim quos ſequar Bimardium, Pelluterium, Bruckerum [a], qui antiquiores Celtas ullum ſcribendi artis uſum habuiſſe negant [9]. Ad haec ſi Aelianum audis [b], omnibus Europae Barbaris literis uti diu indecorum fuit: *Ex Veteribus Thracibus neminem ajunt literas noviſſe. Imo turpiſſimum eſſe putarunt veteres Europam inhabitantes Barbari literis uti*. His ego aliiſque plurimis Gallos, cum ex Aſia in Europam tranſmigrarunt, literas nequaquam habuiſſe contendere non temere poſſem: habuerint tamen, atque ad vetuſtiſſima Gallorum tempora referantur, quae de iiſdem narrat Diodorus [c]: *In funeratione mortuorum epiſtolas propinquis inſcriptas in rogum conjiciunt, quae a defunctis legantur*; ad ea inquam tempora, quae & Phoceenſium

(a) Bim. Scien. des Med. Bruch. l.c. lib.I.c.IX.p. 314. Pelloutier Bibl. Germ. T. 28.p.35.

(b) Ael. Hiſtor. Var. l.VIII.c.6.

(c) Diod. Sicul. l.V. pag. 212.

---

(9) L'uſage des lettres, & de l'ecriture a même eté inconnu pendant tres long tems aux peuples du Nord. Les Gaulois apprirent cet excellent ſecret des Grecs, qui avoient etabli la Colonie de Marſeille vers l'an 165. de la Fondation de Rome &c. Pelloutier l. c.

ſium in Galliam adventum, & Gallorum in Italiam deſcenſum ſuperent, referantur. At quis hominem docuit elementa illa Cadmaea fuiſſe, nec alia Caeſarem deſignaſſe cum literas graecas a Gallis uſurpatas ſcripſit, ſi vere ſcripſit? Veterum Scriptorum nullum profecto proferet. Nam quod efficere id velit , ex ipſa rudi, atque *jejunâ* literarum formâ eſt mehercule quam ineptiſſimum. Ut autem multa omittam, quae diſputari contra poſſunt, quod nam profert literarum iſtarum monumentum? An Numos? At hi, ut dixi, Romanorum in Galliam adventum aetate neutiquam ſuperant; & ſi ſuperent Cadmaea certe non ſunt Numorum illorum elementa: non enim Cadmaea R, & C, ſed Latinorum; non X, ſeu Ch. a Palamede, ut fertur inventa: brevi caracteres omnes Numis inſcripti, ſi unum aut alterum excipas Latinorum ſunt. Ut ſatis probabile cenſeam Gallos, qui Italiam toties intrarunt, tam late tenuerunt, tanta cum Romanis ipſo in Latio, atque adeo ipsâ in urbe duella bellarunt, caracteres in Italia accepiſſe, atque in Gallias aſportaſſe; ubi Celticis, ſi qui fuerunt, paulatim obſoletis Romani publice, privatimque uſurpari coepti ſint: quemadmodum proximâ in Hiſpaniâ factum fuiſſe

ſuiſſe novimus, ubi veteres hiſpanas literarum formas Romanae paulatim expulere. A Numis excluſus ad Lapides provocabit anonymus, ad Gordiani Martyris epitaphium, opinor, nam hoc unum reliquum eſſe dixit magno e naufragio, ex quo veterum Galliae caracterum formam dignoſcere poſſimus. At oleum, & operam perdet: neque enim a Gallo epitaphium illud conſcriptum ſatis conſtat, & multo recentius eſt, ut remotiſſimae antiquitatis teſtis eſſe queat: & literas habet, quae Cadmaeae certo non ſunt. Nam Cadmaeae non ſunt Υ, Φ, Ω, ut doctiores conſentiunt, quiſquis illas Cadmaeis adjecerit: nec K, & V, ut Bianconius [a], ſuſpicatus eſt. Sed anonymum ſua ſibi ſomnia habere relinquamus. Tu interim mecum illud concludas velim; perperam eos facere, qui Gallicos a Bouterovio vulgatos Numos non aliâ de causâ adulterinos ſuſpicantur, quam quod graece ſcripti non ſint: perperam illos etiam, qui eâdem de causâ *Orgetorigi* Helvetio latinis literis inſcriptum Numum tribui poſſe inficiantur.

(a) Biancon. de Antiq. lit. Heb. & Graec. p. 46.

XIV. Ex his quae hactenus diſputata a me ſunt cave exiſtimes in eorum me ſententiam pedibus, ut ajunt, ire, qui *Orgetorigi* Numum hunc

non

non dubitanter tribuunt. His equidem non invitus adjungerer, ſi quid ſolidi afferrent: at cum leviſſimis conjecturis in hanc illos ſententiam deſcendiſſe animadvertam, ſuſpenſus adhuc, & incertus pendeo, quoad meliora edocear. Ecquid porro proferunt Bouterovius, Havercampius, Schoeflinus, Bochatius [a], ut *Orgetorigis* Numos eos eſſe credamus, qui ORCITIRIX inſcribuntur? Non aliud profecto quam utriuſque nominis ſimilitudinem. At hoc non tanti eſt, me judice, ut *Orcitirigem*, & *Orgetorigem* unum eumdemque eſſe ſtatuere certo poſſimus. Noſti opinor hujuſmodi nominum ſimilitudine, non vulgares modo, ſed magni etiam nominis Scriptores in fraudem inductos. Sic, ne a Gallia diſcedam, Bituii Gallo-graecorum regis numiſmata Begerus, & Spanhemius quadam nominis ſimilitudine decepti *Bituito*, ſeu verius *Betulto* Arvernorum Regi tribuerunt, ut ſupra docui. Ni certiora igitur afferantur argumenta, illud multo mihi probabilius alium *Orcitirigem* hunc tuum, alium eſſe Caeſaris *Orgetorigem*, quorum inter ſe nomina differre apertum eſt, ut ut levis ſit iſta nominis diſſimilitudo. Nam nec Bouterovius perſuadet librariorum vitio *Orgetorigem* pro *Orcitirige* apud Caeſarem ſcriptum

(a) Bouter. Rech. cur. de Mon. de Franc. p. 51. Havercam. not. in Oroſ. p. 386. Schoeflin. Alſ. Illu. p. 599. &c. Bochat. Hiſtor. Suiſ. T. I. pag. 584.

fuiſſe

ſuiſſe (11); qui dum Caeſaris librarios culpat Dionem, & Oroſium, alioſque accuſat, a quibus ὀργετόρυξ, & *Orgetorix* Helvetius iſte nominatur. Nec ſatis probat Bochatius (11) Caeſarem ευφονιας causâ barbarum nomen Latinis auribus accomodaſſe, ac pro *Orcitirix* durâ, atque aſperâ voce, E, & O, duabus I ſuffectis, *Orgetorix*, dulcius mollibus auribus nomen reddidiſſe. Helvetiis auribus dulcius *Orgetorix*, quam *Orcitirix* ſonare, viro docto Helvetioque affirmanti, non eſt cur non credam: at Latinis, Romaniſque auribus dulcius ſonaſſe, quibus tandem argumentis evincet, ſi affirmanti non credam? Quid ſi negem Barbarorum nomina a Caeſare immutari conſueviſſe? Non temere id faciam, cum plura alia videam apud eum Barbarorum nomina aſpera ſane, & pronunciatu difficilia, quae a Caeſare nequaquam immutata apertum eſt. Illud ultro, ne omnia viro docto negare velle videar, illud

(10) „ Les Commentaires de Ceſar le nomment *Orgetorix*, „ mais le changement de l' E., & de l' O. peut avoir été fait „ par les copiſtes. Bouter. l. c.


(11) „ Les Romains ne manquoient gueres de faire aux „ noms étrangérs un peu rudes quelque changement pour les „ rendre en latin d'une façon qui les radoucit. *Orgitirix* avoit „ quelque choſe d'aigre: Ceſar en changeant le premier I, en „ E, le ſecond en O, en fit *Orgetorix*, qui ſonne ſans contredit „ beaucoup mieux à l'oreille „ Boch. l. c. pag. 588.

lud ultro Bochatio dabo latinam rationem in *Orgetorigis*, aliorumque Barbarorum nominibus declinandis ſecutum Caeſarem fuiſſe, quod Graecis in nominibus facere illum conſueviſſe a Quinctiliano [(a)] didici. Aſt id ut efficeret vocales ſuis locis amovere, atque alias eorum in locum ſufficere non fuit neceſſe.

(a) Quinctilia. Inſt. Or. lib. I. c. IX.

XV. Sed de Numi autore nimis fortaſſe multa, pauca de Numo ipſo, ac de *Orcitirigis* nomine. Ac primum tibi ipſi gratulor, quod praeclarum adeo nactus ſis Numum. Quamquam enim de Numorum raritate cautiſſime pronunciare ſoleam, nec ſtatuere auſim, non alium ante hunc *Orcitirigis* Numum repertum, quam qui a Bouterovio vulgatus eſt; cum multa tamen curioſius perſcrutanti, ille unus dumtaxat occurrerit, jure ſane aliquo affirmare mihi poſſe videor Numum hunc tuum a Bouteroviano non parum diverſum, inter rariſſimos recenſendum eſſe. Quae ſit Numi utriuſque differentia, ut tute ipſe intelligas, placet Bouterovii Numum hic exhibere. Imberbe, & galeatum caput vides, non *Orcitirigis*, quemadmodum cenſuit Bochatius, ſed ut ego ſuſpicor Palladis, quae Gallis *Beliſana* dicta eſt; foemineum enim caput pendentes auribus gemmae ſatis,

tis, reor oſtendunt: adjecta vox COIOS, quid ſibi velit, pluribus diſputat Bochatius, quae paulo



poſt perpendam. Alterâ in parte, equum ſeſſore vacuum, & effrenem effinxit artifex, deſuper ORGITIRIX legit Bouterovius, ORCITIRIX habet Havercampius, ſi Bochatium audis [a] librariorum errore: ut ut ſit ORCITIRIX ſcribendum Numus tuus diſerte docet; qui ut dicebam a Bouteroviano non parum differt. Princeps enim Numi pars imberbe caput exhibet diademate, ſeu vittâ circumdatum; nullae circum literae, ſi quae fuerunt, periere detritâ dexterâ Numi orâ. Alterâ in parte equus, & hic ſeſſore vacuus currens, ſed habenis collo circumligatis, ſub equo Leonis caput linguâ enormiter exertâ jacet; deſuper ut dixi ORC:TIRIX. Cujus nam ſit caput illud priori in parte ſculptum fruſtra a me quaeres, foemineum eſſe non dubito, ac Gallicarum Dearum aliquam exhibere facile mihi perſuadeo: at quae nam illa ſit definire non audeo, Juno ne, an Venus, an Diana, an quae Celto-Britannis *Andate*, ſive *Andraſta*, ut

(a) Bochat. l.c. p. 587.

 Baxte-

(a) Baxt. Gloſ. Britan. Baxtero placet [a]; Latinorum *Victoria*, ſi Dioni
(b) Dion. lib. LXII. p. 1008. n. ed. credimus [b]: *in Andate praeſertim luco: ſic enim Vi-ctoriam appellabant eamque colebant ſtudioſiſſime*. Junonem ex diademate ſuſpicabar; de Diana etiam, quam Galli *Arduinnam* dixere cogitabam, eo libentius, quod hujus tanta apud Gallos reverentia, ut Chriſtianâ etiam religione adultâ illius cultus, & ſuperſtitio aegre apud illos extirpari potuerit, quemadmodum refert Banierius [12]. Ad haec ſi ad Dianam averſae Partis equum, & leonis caput referre libuiſſet, Dianam ἱπποσόαν, apud Pindarum lege-
(c) Pind. Olym. Od. 3. ram [c]:

ἔνθα Λατους
ἱπποσόα θυγατηρ
δεξατ᾽ ἐλθόντ᾽ Αρκαδίας ἀπόδει
ραν, καὶ πολυγνάμπτων μυχῶν.

„ *Ubi Latonae*
„ *Equorum agitatrix filia*
„ *Excepit venientem Arcadiae ab*
„ *Jugis, & varieflexuoſis receſſibus*.

eam-

(12) Le culte d'Arduinna dura dans les Ardennes, & dans
„ les païs voiſins du Rhin juſque bien avant dans le Chriſtianiſme
„ où pluſieurs Saints, ou Evêques, ou Religieux eurent toutes
„ les peines du monde à l'abolir. Ban. Mith. I. c. c. x.

eamdemque cum leone videbam non epheſiis modo in ſimulacris, ſed in vetuſtiſſimâ etiam Cypſeli arcâ apud Pauſaniam [a]: *jam vero Dianam, quamobrem volucrem fecerint non facile dixerim, humeris alae certe applicatae ſunt, dexterâ Pardalim, alterâ LEONEM tenet*. Nec Dianam dedecet vitta, ſeu diadema, ut ab aliis jam animadverſum eſt [b].

(a) Pauſe. Elic. l. c. 19.

(b) Pict. Hercu. T. II. pag. 106. n. 10.

XVI. At haec conjecturae merae; illud minime dubium Gallorum in Numis equum frequentiſſime exhiberi, vel quod, inquit Bouterovius [13], nobilium equorum ferax eſſet Gallia; vel quod bellicoſi forent Galli, *bello enim armantur equi*: eâque de causâ Marti Bellorum praeſidi ſacer apud Gallos equus fuit. Utrumque ſatis probabiliter, at illud omnino falſum, quod addit; Gallos, cum equos ſine habenis, atque inermes Numis ſuis caelabant, liberos ſe, atque externi imperii, nequaquam patientes oſtendere voluiſſe. Caeterum non apud Gallos dumtaxat, ſed alias etiam apud gentes equus Marti

(13) „ Le Cheval étoit la marque preſqu' ordinaire des mo„ noyes Gaulois, ou pour montrer que leur païs étoit fertile en „ bons chevaux; ou que le peuple étoit porté à la guerre a cauſe „ que le cheval en étoit le ſymbole : *bello armantur equi* : . . . „ & pour ce ſujet les Gaulois conſecroient leur chevaux a „ Mars . . . pour le cheval courant ſans bride, & ſans couver„ ture ils vouloient montrer, qu'ils étoient libres, & qu'ils ne „ pouvoient ſouffrir une domination étrangere „ Bouter l. c.

Marti ſacer fuit. Romanos rerum dominos equum Marti dicaſſe docebunt te Plutarcus, & Feſtus [a]: *October equus*, inquit Feſtus, *appellatur, qui in Campo Martio menſe octobri immolatur, quotannis Marti bigarum victricium dexterior......quem hoſtiae loco quidam Marti bellico deo ſacrari dicunt, non ut vulgus putat, quia velut ſupplicium, de eo ſumatur, quod Romani Ilio ſunt oriundi, & Trojani effigie equi ſunt capti*. Sacrificium hoc idibus Decembris peractum ſcribit Plutarcus, at ni oſcitantis Librarii error ſit, deceptum Plutarcum pro certo habeo. Oſtendit ipſum equi nomen, firmatque Kalendarium apud Lambecium [b]; ubi idus Octobris equi ſacrificio inſignes ſunt ID. EQVVS AD NIXAS FIT. pro AD NIXAS, Bucherius ADNIXVS legit, probavitque Lambecius, ac de *equo Octobri*, qui in ludis equeſtribus prae caeteris *Adnixus* Marti immolabatur, interpretatus eſt. Martis equum lubenter hìc agnoſco, at illud *Adnixus* minus placet. Nihil immutandum cenſeo, lege *Ad Nixas*, atque ita meo periculo interpretator *Idibus Octobris equus* Marti *ad* Ciconias *Nixas* immolatur. *Ciconiae nixae* in regione Urbis IX. apud P. Victorem, quo regionis loco incertum. At cum apud has Martis equus

(a) Plut. Q. R. n. 97. Feſt. v. October. v. equus.

(b) Lamb. To. IV. pag. 286., 297.

equus immolaretur, qui autore Feſto in Campo Martio immolabatur, in eo fuiſſe illas arbitror, non longe a Martis, vel Arâ, vel Templo. Aram Martis ex Livio [a] noſti, Templum habes apud Dionem [b]. Ciconias haſce intactas tibi relinquam, ne quae de iis dicturus es cum ανεκδοτον *Vinariorum Rationarium* interpretaberis, atque illuſtrabis, praeoccupare velle videar.

(a) Liv. l. XI. n. 45.

(b) Dion. lib. LVI. p. 823.

XVII. ORCITIRIX. Si quid vox iſta ſibi velit interroges, *Supremum Sylvarum Regem, ſeu Dominum* interpretor. OR enim nominibus praefixum [14] idem eſt, ac AR, ARD, ARTH, quod *altum, ſublime, ſupremum*, apud Celtas ſonat. CIT. a *Coit*, quae vox apud Gallos *nemus* ſignificabat, per συναιρησιν deduci facile poſſe nemo non videt. RIX Baxtero, aliiſque pluribus idem eſt ac *Rex*. *Cingetorix*, inquit Baxterus [c], *quaſi dicas Britannice Kenta-rig, quod Primus eſt, Rex, ſive Ductor.... Quid Vercingetorix, Straboni* ουερκιγγετοριξ, *niſi ſermone Celtarum URKEN TARIG cum articulo Britannico..... Kend-rig, vel Kend-ragon caput Regum, Rex, Prin-*

(c) Baxte. lex. v. Cingetorix.

(14) „ OR à la tete d'un nom ne marquoit pas moins, „ que celui, qui le portoit étoit au deſſus de tout, que AR, „ ARD, ARTH, qui ſignifioit Haut, Elevé, Supreme. „ Bochat. l. c. pag. 587.

Princeps. Novi ſane, qui pro RIX, a Gallis RICH ſcriptum velint: *Rix*, inquit Bocartus [a], *multo in uſu in magnatum nominibus exemplo ſunt Sinorix*, *Dumnorix* , *Orgetorix &c. puto Gallos ſcripſiſſe* : *Rich ut Britones*, *& Germani hodieque*. *Rich id eſt fortis*, *& potens*..... *Rich autem videtur eſſe Arabum RiK*.... *vis*, *& Robur*. Bocartio ſubſcripſit Bouterovius [15], & Bocatius , accedes & tu , ſi voles ; at non idcirco interpretationem ego meam deſeram . Nam & Reges αυτονομαςικως potentes, & fortes nuncupati : καθῆλε δυναςας ἀπὸ θρονον ; habet Lucas [b] , quae vulgatus interpres reddit: *depoſuit potentes de ſede*, Reges nimirum, & Principes. Sic *Robuſtos Moab* [c] , ἄρχοντες interpretantur LXX. *Principes* Aben-Ezra. At Romanos vocem hanc *Rich* pronunciare non potuiſſe, ut credam, non impetrabit Bouterovius [16]. Miror ſane poſt tot ſaeculorum intervallo virum doctum,

(a) Boch. Can. c. 42. p. 739.

(b) Luc. I. 52.

(c) Exod. XV. 15.

(15) „ J'ai exprimé la derniere lettre d'Ambiorix par un „ CH d'autant que c'eſt un X, & non pas un ξ. Rich en „ langue Gauloiſe ſignifioit fort , & puiſſant ; c'eſt ainſi que „ Fortunat l'explique dans le nom de Chilperich :

„ Chilperiche potens , ſi interpres Barbarus adſit
„ Adjutor , Fortis hoc quoque nomen habet.

Bouter. l. c. pag. 42.

(16) „ Les Romains ne pouvant prononcer Rich comme „ les Gaulois avec un aſpiration , ils l'adouciſſoient , & au lieu „ de X mettoient le ξ, qui eſt nôtre X , & qui ſe prononce „ comme un CS . Id. l. c.

ctum, adeo confidenter ſtatuere, quid Romani pronunciare poſſent, quid non; neque haec animadvertiſſe, quae ſcripſit Quinctilianus [a]: *quamquam per adſpirationem, ſive adjicitur vitioſe, ſive detrahitur apud nos poteſt quaeri, an in ſcripto ſit vitium, ſi H litera eſt non nota, cujus quidem ratio mutata cum temporibus eſt ſaepius. Parciſſime eâ veteres uſi etiam in vocalibus, cum OEDOS, IRCOSQUE dicebant; diu deinde obſervatum ne conſonantibus adſpiraretur, ut in GRACCIS, & TRIUMPIS: erupit brevi tempore nimius uſus, ut CHORONAE, CHENTURIONES, PRAECHONES adhuc quibuſdam inſcriptionibus maneant. Qua de re Catulli nobile epigramma eſt. Inde durat ad nos uſque VEHEMENTER, & COMPREHENDERE, & MIHI. Nam MEHE quoque pro ME apud antiquos quidem Tragoediarum Scriptores in veteribus invenimus*. Haec ſi legiſſet cautius, opinor, ſtatuiſſet Romanos CH pronunciare non valuiſſe. Sed antequam de tuo Numo dicendi finem faciam, obſerves velim, quartum *Orcitirigis* elementum tribus ad perpendiculum punctis efformatum eſſe hoc in Numo. An caſu id factum ſit, & Artificis ingenio; an Celtici *alphabeti* litera haec fuerit ignoro. Similem invenio in Numis Hiſpanicis

(a) Quinct. Inſt. Or. lib. I. c. IX.

apud

(a) Laſtan. Tab. XXIX. n. 45. T. XXX. n. 51. T. XXXI. n. 60. T. XXXII. n. 66.

(b) Gor. diſ. del. Alf. Etruſc. pa. CXI.

apud Laſtanoſam [a]. Hinc miror literae hujus formam a Mahudelio, qui Hiſpanicum *alphabetum* ex iis Numis efformavit, praetermiſſam fuiſſe: ni forte operarum oſcitantiae tribuendum ſit, ut ſuſpicor: recenſuit ſane Gorius [b]; & eamdem eſſe ſtatuit hiſpanam hanc literam, ac Latinorum I, & Graecorum ἰῶτα, quod recte factum Numus hic tuus oſtendit.

XVIII. Iis, quae ad Numum tuum pertinent perfunctus ad ea nunc accedo, quae de voce COIOS Bochatius differit. In eo totus eſt vir doctus, ut oſtendat COIOS Celtice, idem eſſe, ac Latine *Cajus*; *Cajus* vero proprium *Orcitirigis* nomen vult [17]. Erravit, inquit, Bouterovius, qui loci nomen eſſe cenſuit; Orgitirix. *appellativum* nomen eſt, ac dignitatem deſignat. Quis credat Urbis nomen antica

(17) „ Bouteroüe ſe trompoit a mon avis en prenant le „ mot *Coios* pour le nom de quelque Ville, ou Bourg. Il eſt „ plus probable, que c'eſt le nom propre d'Orgetorix, & le „ même que Cajus . . . Ma conjecture, que Cojos eſt le nom „ propre d'Orgetorix eſt d'autant plus admiſſible, qu'on ne „ ſauroit douter, que Orgitirix ne ſoit un nom appellatif, & „ proprement un titre . . . . Enfin il ſeroit peu naturel, qu'on „ eut mis dans les medailles dont il s'agit un nom de Ville „ au devant de la tête, & au revers ſeulement le nom du perſonage à l'honneur, de qui la medaille fut frappée. „ Bochat l. c. pag. 585.

câ in Numi parte poſitum, ubi *Orgitirigis* caput inſculptum eſt; Alterâ vero in parte illius tantum dignitas, cui Numus inſcribitur? Haec ille, quorum poſtrema, cum *Orgitirigis* caput Bouteroviano in Numo non exhiberi ipſius Numi teſtimonio ſtatuerim, corruere jam ſentis. Voce illa *Orcitirix* virum principem deſignâri non improbo; at idem contendo *Orcitirix* nominis loco, non dignitatis hìc poſitum. Quis enim ſibi perſuadeat Caeſarem, quem Scriptorem, & quantum! proprio Helvetii Ducis nomine omiſſo eum ex magiſtratu dumtaxat deſignaſſe? Idem igitur de hac voce *Orcitirix*, *Orgetorix* dices, quod de *Senatoris*, *Venatoris*, *Meſſoris &c.* nominibus docti diſputant viri [a]: quamvis ſcilicet Artes, Dignitates deſignent, eadem tamen virorum ſaepe nomina eſſe, & cognomina. Sic *Meſſor* cognomen eſt, veteri hoc in lapide ex tuis ſchedis:

(a) Maffei. de Rom. Nomin. pag. 186.

D M
C. VALERIO . C. F.
sic
MESSENVO . NAT
ERISAO . V. A. XVIII.
C. VALERIVS . MESSOR
PATER . FILIO FACI
ENDVM CVRAVIT

Sed

Sed nec illud probare poſſum, *Cojos* idem eſſe, ac *Cajus*: vereor ne vocis ſimilitudo erudito viro impoſuerit. Multa ille ingenioſe, ut demonſtret nominis hujus originem a Gallis repetendam eſſe. Romani, inquit[(18)], a Sabinis acceperunt; Sabinorum lingua Gallicis locupletata vocibus tunc eſt, cum Galli

(18) „ On croit communement, que ce prenom avoit paſſé de la langue des Sabins, dans celle des Romains, & que „ la premiere ...... s'enrichit de quantité des mots Celtiques „ par les Gaulois, qui chaſſerent de ce pais-la les primiers habitans de l'Italie ..... M. Olivier convient que la langue des „ Sabins étoit a peu pres la même, que celle des Umbres. „ Or les Umbres etoient Gaulois d'origine ..... un mot recconu pour Sabin d'Origine peut auſſi bien paſſer pour venir „ du Celtique, que du Grec. Il feroit auſſy tres difficile de „ faire voir par l'analogie latine comment le nom de *Cajus* „ qu'on prononçoit Gajus pouvoit marquer, que les Parens de „ celuy, qui le portoit, avoient eu beaucoup de joye de ſa „ naiſſance. C'eſt pourtant la ſeule etymologie, que les auteurs „ Romains en ajent donnée. Auſſy Scaliger en ſentant l'abſurdité recourut au Grec, & pretendoit, que ce nom en avoit „ été tiré pour deſigner un homme nè dans le pays. Ce ſçavant auroit tout auſſy bien pu recourir a la langue Celte: „ *Gau*, & *Ga*y vouloient dire *Terre*, *pays*, comm γαῖα en „ grec, où γηιος, γαϊος ſignifient, qui eſt de la terre. Ce „ qu'il y a de ſur, c'eſt que les Celtes avoient en leur langue, „ un nom qui repondoit a Cajus des Latins. Selon Baxter les „ Celtes diſoient Kei .... les voyelles, & les terminaiſons variant beaucoup dans les differents dialectes des Celtes, ce „ que l'on ecrivoit Kei, l'autre ecrivoit COI, & un troiſieme y ajoutant la termination grecque OS, en faiſoit Cojos ... „ ils aimoient les terminaiſons grecques comme on le voit. „ Arivos, Santonos &c. „ Bochat. l. c. pag. 585.

Galli Italiae veteres incolas expulerunt. Ad haec Sabinorum lingua Cl. Oliverio non diffitente Umbrorum linguae ſimilis: Umbri vero, Solino teſte Gallorum progenies. Nihil eſſe ergo veriſimilius poteſt, quam quod Sabini a Gallis vocem hanc acceperint: quod ſi hoc ſtatuas, tunc legitimum, ac genuinum vocis etymon nactus eris: *Cajus* enim, ſive *Gajus* a Celticâ voce *Gau*, vel *Ga*, quae terram ſignificat, is erit, qui patriâ in terrâ natus ſit; quin cum Scaligero Celticae vocis veriloquium a Graecis apud quos *γαῖα terra*, *γαῖος terrenus*, arceſſere neceſſe ſit. Nam quod vox haec eum denotet, qui naſcendo parentibus ingens attulerit gaudium, latinae vocis analogiam ſi ſpectes, vix, ac ne vix quidem fieri poteſt. Illud tandem minime dubium Celtis ſuam fuiſſe vocem, cui eadem, ac latinae *Cajus*, notio ſubjecta; quam *Kei* fuiſſe cenſet Baxterus; atque uti varia, pro variâ ejuſdem linguae pronunciatione, vocalium mutatio, & vocum terminatio, quod hic *Kei*, alter *Coi* pronunciabat, tertius adjectâ graecâ terminatione OS, amarunt enim Galli graecas terminationes, COIOS efferebat. Haec ille ingenioſa fateor, an eadem vera ſint vehementer dubito; atque illud iterum hic moneo nihil eſſe adje-

ctâ,

ctâ, vel immutatâ literâ, quod non efficere poſſis. Germanum quemdam noviſſe ſe refert Huetius [a], qui hac arte Priamum eumdem eſſe, ac Abrahamum, Aeneam non alium, quam Jonam probaverat; ſeque librum editurum pollicebatur, quo oſtenderet, quotquot ab Hiſpania ad Sinas uſque ſunt linguae, ab unâ eâdemque omnes deductas eſſe. Lepidum ſane caput! An promiſſo ſteterit ignoro. Sed age experiamur, quid eâdem arte, ac regulis extundere, & ego valeam. Etymologi ergo perſonam pauliſper indutus, COIOS, Celtice idem eſſe, ac Latine *Sylvius* pronuncio. Miraris? rides? atqui ita eſſe plane oſtendo. *Coil*, ſeu *Coit*, ut ſuperius dicebam idem Celtis, ac *Sylva*, *Nemus*; A *Coil* igitur, vel *Coit*, *Coi* efficio liquidâ, vel mutâ abjectâ: quid porro uſitatius, quam *finales*, ut ajunt, literas abjicere? *Coi*, quando graecas terminationes amant Galli, ſyllabam OS adjicio, & *Cojos* non minori, ut vides, felicitate effingo; a *Coit Sylva*, *Cojos Sylvius*. Sed quamcumque huic voci notionem ſubjicias illud multo mihi probabilius *Cojos*, ni Celtici, ignotique nobis Numinis, ſive nomen, ſive cognomentum ſit, Gallum aliquem deſignare, qui una cum *Orcitirige* Reipubli-

(a) Huet. Diſs. T. I. pag. 168.

publicae praeſuerit (19). Hinc viros duos Bouterovianus ille Numus profert, uti Coloniarum Numos utriuſque Duumviri nomine inſcriptos videmus. Neque vero inſolens apud Gallos duos eodem tempore Reipublicae praefuiſſe. Factum id apud Aeduos prodit Caeſar [a]: *In his Divitiaco, & Liſco, qui ſummo magiſtratu praeerant, quem Vergobretum appellant Aedui* - Factum fortaſſe praeter morem, nam idem Caeſar alio in loco [b] non leves ortas apud Aeduos turbas narrat, quod *Convictolitonis*, & *Cotis* de ſummo magiſtratu contenderent; *cum ſinguli magiſtratus antiquitus creari, atque regiam poteſtatem annum obtinere conſueſſent*: attamen factum aliquando, & ſuperiora oſtendunt, & haec ipſa innuunt, quae *antiquitus* illud uſurpatum ajunt. Adde quod placere tandem potuit, quod antea iniquum viſum fuerat; fortaſſe etiam peculiare hoc Aeduis, Gallis vero reliquis non item: nihil porro eſt, quod Aeduis Bouterovianum Numum tribuere nos cogat. At quam vellem

(a) B.G.I.n.16.

(b) B.G.VII. n. 32.

(19) Κοιον Titanum vetuſtiſſimum Coeli filium Japeti, & Saturni fratrem, quem Latini Coeum vocant huc pertinere nullatenus cenſeo, quamvis Pezronio concederem a Titanibus Celtas ortos fuiſſe.

lem ipſum Bouteroviani Numi exemplar conſiderare liceret, illa enim injecta mihi ſuſpicio, an non pro COIOS legendum COTOS notum Gallis nomen: videant qui Numum poſſident. Noſti quam facile in exeſis, ſive numis, ſive lapidibus fugientes literae lectores fallant. Accidit id Kirkeriani hujus lapidis apud Muratorium [a] ſcriptori:

P. RVBRIVS . TROPHIMVS . Ɛ. T.
RVBRIVS AGATO SOLARIVM
REFECERVNT . ET . VERMICVLVM
STRAVERVNT . ITEM PAVIMENTVM
SPICAM . STRAVER. ET . SEDILIA
CIRCVMITVM REFECERVNT INPENSA SVA
L. NONIO TORQVATO . ASPRENATE
T. SEXTIO . MAGIO. LATERANO. COS. (a.c.94.)

detritas vetuſtate literas non aſſequens legit: *P. Rubrius Trophimus*, *&* *Rubrius Agatos C. L. Atrium*, & Agatoni praenomen ademit, ingenuum hominem libertum fecit, ſolarium in atrium vertit. Sed nugarum ſatis, tu, qui meas eſſe aliquid putas, his fruere, & vale. Data Non. Oct.

(a) Mur. p. 314. 2.

EIDEM.

E I D E M.

RIſi Venatores illos tuos aheno in Cinericio compoſitos: ſed haec coram. Inſcriptiones, quas ſuperioribus literis non dedi his habeto; nec ſine foenore, tribus enim, quas promiſeram, alias duas adjiciam.

C. CAMVRIO . C. F.
LEM. CLEMENTI . PRAEF
FABR. IIII. PRAEF. I. D. IMPER
CAES. TRAIANI . AVG. PRAEF. COH
VII. RAET. EQVIT. TRIB. MIL. COH
II. VLPIAE . PETRAEOR. MILLIAR.
EQVIT. PRAEF. ALAE . PETRIANÆ
MILLIAR. C. R. (*) BIS TORQVATAE
PROC. AVG. AD . MINICIAM
PROC. AVG. EPISTRATEGIAE
SEPTEM . NOMOR. ET ARSI
NOITAE . TREIENSES . PATRON
OB MERITA . EIVS . DECR. DEC
PVBLICE
L. D. D. D.

(*) Civium Romanorum.

Quomodo legenda ſit, non eſt cur te doceam, pauca curſim delibo, quae minus fortaſſe obvia.

PRAEF. I. D. IMPER. CAES. TRAIANI. Quiſnam rogo hic Trajani Imperatoris Juri dicundo Praefectus? *Hirpidium* ejuſdem Trajani I. D. PRAETorem apud Muratorium invenio [a] mendoſo in lapide, ut idem fatetur. At ſeu *Praetor*, ſeu *Praefectus* dicendus ſit, uterque aeque ignotus. Legerem F. D. *Frumenti Dandi*, atque ad Frumentariam a Trajano inſtitutam diſtributionem referrem. *Praefecti Frumenti Dandi* non uno in lapide. *Praef. F. D.* [b], *Praef. Fr. D.* [c], *Praef. Frum. Dandi* [d] &c. At quamvis I pro F leve mendum ſit, & non ſemel occurrat, oſcitantiae tamen quadratarios accuſare non temere ſoleo. Obſcurâ in re dicam, quae dici probabilius poſſe mihi videntur. 1. Juriſdictionem in Italia varie pro variis temporibus adminiſtratam novimus: *Conſulares* ab Hadriano inſtitutos memorat Spartianus [e]: his non diu poſt ejus mortem ſublatis, ut autor eſt Appianus [f], *Juridicos* ſuffecit M. Aurelius, teſte Capitolino [g]: Quin ante Hadrianum extiterint, qui eodem fungerentur munere nequaquam dubitandum, ut enim recte V. C. de Vita [h]: *falluntur ii, qui Hadrianum primum Italici magiſtratus autorem faciunt ..... nomen magiſtratus, non ipſum magiſtratum; aut certe viros qui*

(a) Mur. p. 707. 2.

(b) Gud. pag. 122. 2. Grut. p. 404. 3.

(c) Id. p. 471. 6.

(d) Id. p. 1091. 8.

(e) V. Hadr. n. 22.

(f) Ap. Civ. l. I.

(g) V. Marci n. XI.

(h) Ant. Ben. p. 146.

qui illud obtinerent deinceps excogitavit Hadrianus, ut nempe, qui alio nomine haud ſatis noto antea vocabantur, conſularium in poſterum appellationem obtinerent. Ignotum hoc nomen hi fortaſſe lapides nos docent, atque ex iis diſcimus eos Praef. I. D. Imperatoris nuncupatos; niſi potius velis a Trajano novum huic magiſtratui nomen inditum, uti novum poſtea ab Hadriano, atque novum item a M. Aurelio.

2. Illud etiam occurrit, cum Imperatores ipſi per ſe jus dicerent, uti de Auguſto, Claudio, Nerone, Domitiano Svetonius, de Trajano Dio teſtatur [a]: *neque vero in illo, quo flagrabat armorum ſtudio, minorem curam habuit caeterarum rerum; aut parcius cauſas tractavit. Nam modo in Foro Auguſti, modo in Porticu, quae Liviae dicitur, ſaepe in aliis locis jus pro tribunali dicebat.* Occurrit illud, inquam, habuiſſe, qui pro ſe cum aut nollent, aut non poſſent jus dicerent: horum fortaſſe in numero Camurius noſter, & Hirpidius Muratorii. Neſcio an aliquid lucis conjecturae huic afferre queat Dionis locus in Galba [b], ubi narrat Capitonem, *quum forte quidam reus, ab eo jus dicente provocaviſſet, ſtatim in ſellam excelſiorem tranſiliiſſe his verbis, age dic cauſam apud Caeſarem, eumque causâ cogni-*

(a) Dio l. 68.

(b) Id. l. 64.

 gni-

gnitâ capite damnaſſe. 3. Tandem qui hìc Praef. I. D. Imperatoris dicuntur iidem fortaſſe, ac qui poſtea *Judices ſacrarum cognitionum*[a]: *Electi ad cognoſcendas Vice-Caeſaris cognitiones*[b]: *Cognoſcentes ad ſacras cognitiones*[c]; de quibus fuſe Gutherus[d]: an iidem vero ſint, ac illi, de quibus ſuperiori numero agebam, videant qui veterem Juriſprudentiam, & Juriſperitos penitius callent. Meliora fortaſſe docebunt te adverſaria illa tua vere πανδέκται. Quaecumque tamen fuerit haec Camurii Praefectura, muncipale munus fuiſſe, atque ad eos Praefectos referendam penes quos, uti cenſuit Noriſius[e] in coloniis, ac municipiis, cum ob Decurionum diſſidia Duumviri creari non poterant, juriſdictio erat, perſuadere mihi non poſſum.

(a) Fabr. c. III. n. 517. 518.
(b) Grut. pag. 381. 3.
(c)
(d) Guth. de Off. D. A. lib. I. c. 25.
(e) Diſs. I. in Cen. Piſ. c. III.

ALAE PETRIANAE. Ala haec, in qua Romani Cives militabant, a quo nomen ſortita ſit ignoro. *Petrianas*, quae nunc *vetus Perith* in Cumbria apud Brigantes invenio, ubi *Praefectum Alae Petrianae* degiſſe docet notitia Imperii Occidentis: veterum illic rerum reliquias, atque inſcriptiones reperiri teſtis eſt Camdenus[f] in ſua Britannia, atque inter caetera hòc antiqui lapidis fragmentum, in quo *Petrianam Alam* commemorari ſatis veriſimile eſt:

(f) Cam. Brit. pag. 702.

...GA-

. . . . . .

GADVNO
VLP. TRAI
* EM. AL. PET
MARTIVS
F. P. C.

* Emeritus Alae Petrianae;

At illa non levis ſuſpicio ex Alâ illuc traductâ loco nomen factum. Ita ſane cenſet Baxterus [a]; nec temere, alia enim ſuppetunt hujus rei in Britannia exempla. An a Petrejo aliquo, uti a Sylla, & Scribone, *Syllana*, & *Scriboniana* Ala apud Tacitum [b]? Quid ſi eadem haec Ala, ac quae *Petrina* apud eumdem [c], cujus Praefectus Galbâ, Vitellio, & Ottone de R. Imp. decertantibus Claudius Sagitta? Emendandusne Taciti locus lapidis hujus autoritate, atque *Ala Petriana*, pro *Petrina* legendum? Nihil pronuncio, ut enim Melancholicus quandoque ſim, divinus non ſum, & Petrinos populos in Sicilia novi.

(a) Baxt. lex. v. Petr.

(b) Tacit. H. I. 70., II. 17., III. 6.

(c) Id. H. IV. 49.

BIS TORQVATAE. Non levis Alae hujus gloria, quod Torquibus bellicae virtutis proemio donata bis fuerit, atque inde nomen adepta. An etiam Annonas duplices una cum Torquibus conſecuta fuerit, quas *Torquatis* militibus interdum datas ait Vegetius [d], ignorare nos Trejenſes voluerunt.

(d) Veg. II. 7.

Cohor-

Cohortes integras militaribus donis donatas habes
(a) B.C.III.53. apud Jul. Caeſarem [a]: *cohortem duplici ſtipendio frumentoque militaribus donis ampliſſime donavit*: Ma-
(b) Liv.X.44. nipulos apud Livium [b]: *Papirius .... Sp. Nautium, Sp. Papirium fratris filium, & quatuor centuriones MANIPULUMQUE HASTATORUM Armillis aureiſque coronis donavit.* Alas ex hoc lapide, & Fabretia-
(c) Fab.C.III.n. 149.p.140. no, qui etiam apud Donium [c], ubi *Ala Moeſiaca Torquata* dicitur; an aliae ſint non vacat inquirere.

PROC. AVG. EPISTRATEGIAE. Procuratorem interpretor *per Praefecturam* Septem-Nomorum. ϛρατηγία non militare tantum verbum, ſed etiam civile. ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ ΤΗΣ ΣΤΡΑΤΗΓΙΑΣ habes apud
(d) Rhein. Cl.I. n. 72. Rheineſium [d]. *Hepta-Nomis* Aegypti regio, quae ſeptem *Nomos*, ſeu Praefecturas complectebatur, hac in regione Auguſti res procurabat Camurius, qui eodem munere apud Arſinoitas ſungebatur. Horum
(e) Plin. lib.V. n. 9. Nomi duo teſte Plinio [e], alter in ipſa Hepta-nomide, ubi Arſinoe, quae prius Κϱοκοδείλων πόλις di-
(f) Strab. lib. XVII.p.811. cta eſt [f]; alter, de quo agi hic puto, ad Arſinoen illam ſpectat ni fallor, quae ad Arabicum ſinum,
(g) Id. l.c. pag. 804. prope Heroopolim ſita erat, ut docet Strabo [g].

TREIENSES. Piceni populi, quorum oppidum *Treja*, Antonino *Trea*, inter Septempedam, & Au-

xumum

xumum, cujus veſtigia Cluverio ignota, ad ſiniſtram Potentiae amnis 8., vel 9. Mil. paſ. ſub Septempeda, paulo ſub *Montecchio* manifeſtiſſima deprehendiſſe ſe teſtatur Holſtenius [a].

(a) Holſt. not. in Cluv. pag. 738.

HERCVLI
SCYPHOS
VOTVM . POSVIT
C. CLODIVS
C. LIB. LAETVS
AVGVSTALIS

Auguſtae Vagiennorum.

Herculi ſcyphos dicatos ne mireris, multibibum Heroem hunc fuiſſe habes apud Macrobium [b]. Celebris apud Veteres Herculis ſcyphus, de quo plura Dempſterus [c]. Vulgata etiam fabula Herculem ſcypho a Sole accepto ad Erythiam inſulam navigaſſe, quam fabulam de Navigio, cui *Scypho* nomen fuerit, non male interpretatur Macrobius. Ἡρακλοῦς Πινοντος ſimulacra memorat Ariſtides [d]. Si Jebbaeo credis deſcripſit haec Lucianus in Sympoſio, ubi narrat Alcidamantem quemdam humi abjectum, ſeminudum jacuiſſe erecto nixum cubito dextrâ ſcyphum tenentem, qualis ille apud Pholum Hercules a pictoribus oſtenditur. At non uno modo

(b) Macr. Sa. V.

(c) Dempſt. ad Roſin. lib. V. c. 30.

(d) Ariſt. Or. T. I. pag. 35.

modo Herculem Οἰνοπότην ab antiquis effictum cenſeo. Stat in Smyrnaeorum Numis Caracallae, & Plautillae, Maximini, & Maximi apud Liebaeum [a]. Sedet in Crotoniatarum Numis apud Goltzium [b], quemadmodum Epitrapezius ille Martialis [c]:

(a) Lieb. Goth. Num. pag. 319., 341.
(b) Golt. Mag. Graec. Tab. 29.
(c) Mart. epigr. lib. IX.

„ Hic, qui dura ſedens porrecto ſaxa leone

. . . .

„ Cujus leva calet robore dextra mero.

& Statii [d]:

(d) Statius Silv. lib. IV.


„ . . . . tenet haec marcentia fratris
„ Pocula, adhuc ſaevae meminit manus altera caedis
„ Suſtinet occultum Nemeaeo tegmine ſaxum.

Inter votivos Herculi ſcyphos repones, me judice, elegantiſſimum illum ſolido ex argento ſcyphum in Muſeo Pighinio, ubi Hercules Nemeaeum leonem lacertis elidens affabre caelatus eſt. Hujus ἔκτυπον, quod hic videas praeclariſſimi Comitis Jo: Baptiſtae Pighinii munificentiae debes, qui P. Antonio Benedicto communi amico, ut publicum hoc loco a me fieret petenti, pro eâ, qua eſt humanitate benigne conceſſit.

In Muſeo N.V. Jo Baptiſtae Comitis Pighinii Patric. Forocornelienſis .~

Ex argento puro pondo librarum 10.~





Palm. 1. Rom.

✠ HIC REϚVIESCE . . . .
IN SOMNO PACES ℞
SIMPLICIVS CONΔV . . . .
TORϚVI VIXIT IN SEC . . .
ANNOS PLM ЧV REC . . . .
SET DE HAC LVCEM SVBΔ....
sic
TERTIO KAΓENΔAS IV . . . .
AS . REϚNANTE ΔMN NOS
TRO ROTHARI REGE
ANN ϚIII INΔICCIONE
TERCIA FELICITER

a tergo
VRBANVS
APONI
DISPENSATOR .

Ibid.

CONΔVcTOR . Conductorem hoc loco non *Diaſoſten* , ſed *Redemptorem* intelligo , cujuſmodi ſunt *Hermes Conductor Horreorum Sejanorum* , & *Conductores Gregum Oviariorum* apud Gruterum [a] . Conductores Farfenſibus in Cartis , & Chronico frequentes occurrunt , quos eos eſſe putant , qui Romanae Eccleſiae bona conducebant , *Conductoribus Maſſarum* ,

(a) Gru.p.294. 9.513.1.

 Roma-

Romanae Eccleſiae, *per Gallias* inſcribitur Gregorii M. epiſtola. An hujuſmodi fuerit in Subalpina regione Simplicius noſter ignoro. Romanam Eccleſiam ſatis amplum Patrimonium in Provincia Alpium Cottiarum habuiſſe ſcio, cujus aliqua praedia, & latifundia conducere Simplicius poterat; Patrimonium enim iſtud non niſi paucis ante Simplicii mortem annis, occupatum fuit. Sigonius [a] factum id tradit anno 638., at Muratorio, & Zannettio [b] aſſentior, qui poſt Eraclii mortem an. 641., Alpium Cottiarum Provinciam a Rothari Graeco Imperatori, & Pontifici ereptam ſcribunt, annis nim. IV. ante Simplicii mortem, quae anno contigit 645., ut nunc oſtendam.

REGNANTE...ROTHARI REGE ANN. ℊIII. &c. Rhotarici regni initia anno 630. ſtatuit Pagius [c]: anno 635. Camillus Peregrinus apud Bachinium [d]: anno 636. ineunte Cennius [e]: anno 637. ſub finem Octobris Bacchinius [f]: anno 638. Baronius [g]: horum omnium rationes lapis iſte, ſi recte deſcriptus, perturbat, & novam Rotharici regni epocam inducit. Ut enim Annus Rotharis IX. cum indictione III., & die III. ante Kal. Ju... congruat initium Rotharis inter menſem Ju., & XXII. Novem-

(a) Sigo. de R. Ital.

(b) Mur. Ann. Zann. Hiſt. de Longob. p. 306.

(c) Pag. ad an. 626. 638.

(d) Bach. Pont. Agn. T. II. pag. 149. &c.

(e) Tom. IV. Anaſt. p. CCIV.

(f) l. c.

(g) Bar. in Ann.

Novembris anni 636. collocandum erit. Indictio enim III. Caeſarea, qua Cennio, aliiſque ſatentibus Langobardi utebantur, a Kal. Septembris an. 644. ad Kal. ejuſdem menſis an. 645. decurrebat. Simplicius igitur, qui III. Kal. *Ju... de hac luce receſſit*, obiit anno 645., quo Rothari nonum regni ſui annum hujuſce lapidis teſtimonio adhuc agebat. Haec apte congruunt cum celebri illo edicto, quo Rothari Langobardis ſuis leges, quas ſolâ memoriâ, & uſu retinebant, ſcriptas dedit, cujus Prologus ſic exorditur: *Ego in Nomine Dei Rhotari Rex vir Excellentiſſimus XVII. Rex gentis Langobardorum anno Deo propitiante regni mei VIII., aetatiſque XXXVIII Indictione ſecundâ, & poſt adventum in Provinciam Italiae Langobardorum ex quo Alboin tunc temporis Rex .... anno LXXVI. feliciter...* In concluſione vero haec habentur: *quae autem non ſunt finitae ad praeſentem* 22. *diem menſis hujus Novembris Indictione II. &c.* Chronologici caracteres annum exhibent 643. quo ante 22. diem Novembris VIII. Rhotarici regni annus exorſus erat, agebatur autem LXXVI., ex quo Alboinus in Italiam advenerat, quod anno DLXVIII. critici doctiores factum conſentiunt. *Langobardi*, inquit

 Cennius

(a) Anaſ. Tom. IV. p. CCIII.

Cennius [c], *annos 42. in Pannonià commorati anno 568. die 2. Aprilis in Italiam proficiſcuntur, duce Alboino*. Rotharici regni initio hos intra terminos conſtituto, atque firmato, ſi per annos XVI. & menſes IV., quot regnaſſe illum ſcribit Paulus Diaconus [b], decurras, obiiſſe Rotharim deprehendes anno 652., non Martio ineunte, ut Pellegrinius cenſuit, nec Majo, ut Cennius, ſed ut citius Septembre exeunte, quamvis ſequentis anni initium attingere etiam potuerit. Anno igitur

(b) Hiſt. Lang. l.IV.c.48.

636. Ind. IX. X. inter menſ. Ju., & Nov. 22. Rothari regnare incipit.

641. Ind. XIV. XV. Alpes Cottias occupat. A. Regni V. VI.

643. Ind. II. 22. Nov. Edictum promulgat. A. R. VIII.

645. Ind. III. a. III. Kal. Ju... moritur Simplicius. A. R. R. IX.

652, Ind. XI., vel init. 653. moritur Rothari. A. R. XVII.

D M

VLPIVS COCCEIVS . EQ. S. D. N

CASTRIS NOV. T. KASTI . EX . PAN

SVP. NATVS. AD. AQVAS. BALIZAS

PAGO . IOVISTA . VICO COC...

NETIBVS . STIP. XII. ANN. XX...

ICTOR . FRATER . ET. IVL. PROC...

...RD FECERV...

Exſcripſi in Vineâ Lepriâ extra Portam Naeviam. Exſtat in marmorea Tabula, in cujus medio Coccei protome cum clamyde, & virga cavo in clypeo, quem duo genii ſuſtentant. Deſuper arcuatum loculamentum, in quo lectus, atque in eo vir ſedens dextrâ coronam tenere videtur; adſtat menſa tripes, hinc genius cum face; illinc genius alter cum vaſe. Marmoris latera ornant columnae in ſpiram aſſurgentes, quibus larvae ſcenicae, ni fallor, impoſitae.

VLPIVS COCCEIVS. Quamvis illuſtrium Imperatorum nomina a militibus ſaepe ſumpta non ignorem affirmare tamen non auſim *Ulpium Coccejum Equitem ſingularem Domini Noſtri Caſtris Novis Turmae Kaſti &c.* Ad Coccejum Nervam, & Ulpium Trajanum Auguſtos pertinere, vel eorum ſaltem aetate vixiſſe. Primum illud, quod nihil leve magis,

magis, nihil hac nominum ſimilitudine magis incertum arbitrer; poſtremum hoc, quod nullae certae ſint temporis notae, ex quibus evincere id poſſis.

DN. *Domini Noſtri*. DOMINI titulum ab Auguſto rejectum, a Cajo, & Domitiano vehementer expetitum, ſi unum, aut alterum L. Veri Numum graecum excipias [a]; in quibus tamen non δεσπότης, ſed Κύριος dicitur ΥΠΕΡ ΝΙΚΗΣ ΚΥΡΙΩΝ ΣΕβαςῶν; in Numis Getae primum occurrere Antiquarii vulgo docent; extat enim Antiochenus hujuſce principis Numus [b], cujus in aversâ parte legitur VICT. DD. NN. COL. ANTIOCH. S. R. *Victoria Dominorum Noſtrorum* Caracallae, nimirum & Getae *Colonia &c.* Eumdem in lapidibus poſt Commodi tempora, Severo aliiſque Auguſtis plerumque datum ſcripſit Noriſius [c]; Noriſio conſentiens Spanhemius: *Sub Hadriano vero*, inquit [d], *ac Antoninis nuſpiam itidem in antiquis* AVCTORVM, LAPIDVM, NVMMORVMQ. *monumentis conceſſus iis, aut ab iis ambitus Domini titulus comparet*. Hinc illa apud Antiquarios vulgata lex *Domini* titulum in lapidibus ſequioris aetatis indicium eſſe. Miror, qui poſt Noriſium, & Spanhemium ſcripſere huic legi ſubſcribere maluiſſe, quam vetera per ſe monumenta conſule-

(a) Ap. Vail. N. P. T. II. p. 179. Liebe C. VII. §. XI. p. 258.

(b) Ap. Vail. N. Col. T. II. p. 53.

(c) Noriſ. de Num. Diod. c. I.

(d) Spanh. de P. N. Diſ. XI. §. XI. p. 485.

ſulere. Atqui legi illi non una me judice danda exceptio eſt. Omittam ſane Ocriculanum lapidem [a], vel falſum, vel corruptum, in quo Tiberio *Domini Noſtri* titulus tribuitur; nec Cordubenſis [b] autoritate abutar, qui Domitianum *Dominum Noſtrum* appellat; non enim ignoro, quam ſit apud ſeveriores criticos Hiſpanorum lapidum teſtimonium infirmum. Quamquam qui haec apud Svetonium legerit [c]: *Pari arrogantiâ cum procuratorum ſuorum nomine formalem dictaret epiſtolam ſic coepit; Dominus, & Deus noſter, ſic fieri jubet. Unde inſtitutum poſthac, ut ne ſcripto quidem ac ſermone, cujuſquam appellaretur aliter*, is nequaquam mirabitur Cordubenſes publico etiam in monumento Domitiano *Domini* titulum dediſſe. Fictiles Muſei Paſſerii [d] lucernas elegantis ſane operis vidiſſe memini, quarum altera Apollinem cum citharâ ſcopulo inſidentem exhibebat, altera quadrigas in circo decurrentes, poſtrema querneâ coronâ circumdata, juvenem togatum, ſedentemque cum volumine in ſiniſtra; a tergo vero in priori FLAVIADETDN, in ſecundâ FLAVIADEDN, in tertiâ FLAVIA DETDEIN; nempe, Viro Clariſſimo interprete [e], *Flavia Domini, & Dei Noſtri*: Hunc *Dominum, & De-*

(a) Mu.p.95.2.

(b) Ib.p.259.6.

(c) Svet.V.Domit. n.13.

(d) Paſſ.lucern. Fict.T.I.Ta.74. T.III.Tab.26. 38.

(e) Id. To.III. pag. 50.

& *Deum* Domitianum eſſe, eumque in tertiâ lucernâ expreſſum ex Flaviae nomine vir doctus putat, cui ſi ſubſcribas *Domini*, & *Dei* titulos non ſcripto tantum, & ſermone Domitiano datos, ſed iiſdem fictiles etiam in Urbe lucernas obſignatas habes. An ulla extent certa, & legitima monumenta, quae Trajano *Domini Noſtri* titulum datum oſtendant, ignorare me fateor, Tarraconenſem enim lapidem hoc in numero non reponam, quamvis legitimus ſit. Utitur eo Corſinius [a], at doleo virum doctum non vidiſſe, monumentum ab Acyndino *Vice ſacra cognoſcente Numini Majeſtatique Domini Noſtri Trajani nobiliſſimi, fortiſſimi, ac foeliciſſimi Caeſaris dicatiſſimo* poſitum, non ad Trajanum Nervam, ſed ad Trajanum Decium pertinere: vidit atque animadvertit Gruteri editor. At his omiſſis, qua falſis, qua infirmis, ut ad ea, quae Spanhemius ſtatuit infirmanda propius accedam, *Domini Noſtri* titulum publicis in monumentis Hadriano Principe, atque Antoninis Auguſtis uſurpatum non dubiis, monumentis ſtatuere, me poſſe video.

(a) Corſ. Praef. Urb. p. XXX.

Ac primum Hadriano datum invenio in his figulinis apud Donium [a].

(a) Don. Cl. II. n. 141. 142.

SER-

SERVIANO . III. ET . VARO COS
EX . FIGVL. DIONYSI ET FESTI SER. D̄. N̄

L. AEL. SERVIANO . III̅. ET . VARO . COS
EX FIG. DOMITI . PARATI . ET VERI
DELIC. THE. D̄. N

Lego enim in priori: *Serviano III.*, *& Varo Conſulibus Ex figulina Dionyſi*, *& Feſti Servorum Domini Noſtri*: in alterâ vero: *Lucio Aelio Serviano III.* *& Varo Conſulibus ex Figulina Domiti Parati*, *& Veri Delicati Thermariorum Domini Noſtri*. Inſcripti conſules, ad ann. V. C. 886., C. 134. laterculos hoſce pertinere oſtendunt, eo enim Servianus III., & Varus Conſules proceſſere. Hac porro aetate *Dominum Noſtrum*, non alium, quam Auguſtum, Hadrianum ſcilicet, appellatum facile dabis. Sequiora ſunt tempora, quibus & privati Conſules *Domini Noſtri* dicti quandoque ſunt, ut egregie oſtendit Corſinius [a]. Ex ſecundo laterculo, ut hoc obiter animadvertam, habes Serviani, Paulinae [b] Hadriani ſororis mariti praenomen, & nomen, de quibus non ſatis ſibi conſtant Faſtorum Scriptores; *C. Julium Servilium Servianum* vocat Panvinius; *Servi-*

(a) Corſ. diſs. I. p. IX.
(b) Spar. V. Hadr. n. 1.

lium

vilium Servianum Leunclavius, & Pagius; *C. Julium Servilium Urſum Servianum* Almelovenius. *Ser. Servianus* dicitur apud Sponium [a]; *Urſus Servianus* apud Gruterum [b]; *C. Urſus Servianus* apud eumdem [c]: erit tibi dehinc *Lucius Aelius Servianus*, alius, ut ſuſpicor, ab illo Urſo Serviano, qui Collega *L. Fabio Juſto* a V. C. 864. C. 111. Faſtis iterum nomen dedit: ſed haec εν παρόδῳ. An hoc in lapide [d]:

(a) Spon. Miſc. p. 263.
(b) Gru. p. 175. 10. 190. 6.
(c) Ib. p. 1083. 9.
(d) Mur. p. 524. 3.

IMP. CAESARE . AELIO
HADRIANO AVG. COS. III. &c.
NOMINA MAG. LIBER. ET . SERVORVM
AVG. N̄. D
L. LVTATIVS &c.

Legendum ſit *Auguſti Noſtri Domini* literis lapicidae oſcitantiâ tranſpoſitis affirmare non audeo. Κύριος certe dicitur idem Hadrianus in Smirnenſi lapide inter Oxonienſes [e].

(e) Mur. Oxon. p. 95.

. . . . . ΚΑΙ . ΟΣΑ . ΕΠΕΤΥΧΟΜΕΝ
ΠΑΡΑ · ΤΟΥ . ΚΥΡΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ
ΑΔΡΙΑΝΟΥ . ΔΙ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ . ΠΟΛΕ
ΜΩΝΟΣ &c.

atque in Palmireno apud Muratorium [f]:

(f) Mur. pag. 115. 1.

ΔΙΙ.

ΔΙΙ. ΜΕΓΙΣΤΩ ΚΕΡΑΥΝΙΩ ΥΠΕΡ

ΣΩΤΕΙΡΙΑΣ. ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑΝΟΥ.

CEB. ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ &c.

Antonino Pio eumdem titulum tribuunt acta paſſionis S. Felicitatis apud Ruinartium [a]: *Auſa es*, inquit Praeſes, *me praeſente iſta monita dare, ut Dominorum Noſtrorum juſſa contemnant &c.* ſed his illuſtrius fortaſſe teſtimonium exhibebit praeclarus ille *Velii* Fidi ad Jubentium Celſum Libellus Severo, & Sabiniano Conſulibus anno V. C. 908. C. 155., cujus αὐτόγραφον in Kirkeriano Muſeo ſervatur, in quo Arria Fadilla DOMINI. N. IMP. ANTONINI AVG. mater dicitur, quod a nemine, quod ſciam animadverſum, obſervaſſe te gaudeo. Eidem Auguſto Moguntinum lapidem Junoni X. *Kal. Aug.* IMP. D. N. ANTONINO. COS. dicatum tribuit Muratorius [b]: at fallitur vir doctus; non enim, ut ille arbitratur, ſecundus hic Antonini Pii conſulatus exprimitur, ſed, ut ego cenſeo, primus Antonini Helagabali; cum occiſo VII. id. Jun. ann. V. C. 971. C. 218. Macrino, ejuſque nomine e Faſtis eraſo Helagabalus ſe ipſum conſulem dixit. Utrum vero ad eumdem principem lapis alter pertineat *Pro ſalute Domini Noſtri San-*

(a) Ruin. Act. MM. Sinc. p. 22.

(b) Mur. p. 326. n. 3.

ctiſſimi Antonini Pii poſitus, incertus ſum: negat Maffejus [(a)], atque Antonini Caracallae, aut Helagabali eſſe contendit; dubio teſtimonio non utar, quando contrarium oſtendi certo non poteſt.

(a) Maf.O.L.T. I.p.188.n.33.

M. Aurelius, & L. Verus, omiſſis, quos citavi Lucii Numis, & Polycarpi Martyrii, apud Euſebium acta [(b)], in quibus Herodes Irenarca, Polycarpum ſic alloquitur τί γαρ κακον ἐςιν εἰπεῖν ΚΥΡΙΕ ΚΑΙΣΑΡ, ϗ ἐπιθῦσαι, *quid enim mali eſt dicere Domine Caeſar, & ſacrificare*. Aurelius inquam, & Verus τῆς οἰκυμένης Κύριοι vocantur duobus hiſce in lapidibus apud Donium [(c)];

(b) Euſeb.H.E. IV.15.

(c) Don.Cl.III. n.21.22.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣ
ΜΑΡΚΟΝ ΑΥΡΗΛΙΟΝ
ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΝ ΣΕΒΑ
ΣΤΟΝ ΤΟΝ ΚΥΡΙΟΝ
ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ
Λ. ΦΛ. ΣΟΥΛΠΙΚΙΑΝΟΣ
ΔΩΡΙΩΝ

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ
ΛΟΥΚΙΟΝ ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΒΗΡΟΝ
ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΑΡΜΕΝΙΑΚΟΝ
ΤΟΝ ΚΥΡΙΟΝ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ &c.

Iiſdem

Iiſdem ſi *Domini* titulum hoc in fragmento apud Fabrettum [a]:

(a) Fabr. C. X. n. 79.

..RATORVM . CAESARVM
..NI . ET . VERI . AVGVSTORD
..NI . XX. OF. AVR
..ONINO III. ET . VERO II COS (a c. 161.)
PC.

datum dicam, non temere faciam, illa enim D. lineâ ſecundâ *Dominorum* interpretari facile poteſt.

Commodo *Domini Noſtri* titulum dat Fabrettianus iſte lapis [b]:

(b) Id. C. X. n. 108.

SOLI INVICTO
MITHRAE
PRO SALVTE COMMODI
ANTONINI AVG. DOMINI N &c.

idemque κύριος dicitur graeco in marmore Romae reperto apud Gruterum [c]:

(c) Gruter. pag. 114. n. 4.

ΥΠΕΡ CΩΤΗΡΙΑC ΚΑΙ ΔΙΑΜΟΝΗΣ
ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC
ΚΟΜΜΟΔΟΥ CΕΒΑΣΤΟΥ
ΟΙ ΝΑΥΚΛΗΡΟΙ &c.

Haec, quae protuli, veterum monumenta ſatis, opinor, oſtendunt *Domini* titulum ante Severum, & Caracallam Hadriano, atque Antoninis principi-

bus,

bus, cum apud auctores, tum in lapidibus uſurpatum. Oſtendunt Romae uſurpatum, quod Severo, & Caracalla, aliiſque ante Aurelianum auguſtis in more poſitum negare videtur Spanhemius [a]: *neque tamen hactenus ſub iis principibus*, Severo, & Caracalla, *inoleverat*, *ut eam Domini appellationem ſibi dari in urbe..... vellent &c.* quod a doctiſſimo viro minus recte ſancitum, non allata dumtaxat *Velii Fidi*, & Ναυκληρῶν monumenta, ſed alii plures apud Boldettum, Fabrettum, & Rheineſium lapides te docebunt. Habes apud Boldettum [b] illuſtre Antonini Caracallae, & Getae conſulatu marmor romano in Coemeterio repertum, in quo *Tribuni Equitum ſingularium* DDD. NNN. AVGGG. *Severi* nimirum *Caracallae*, & *Getae*, nominantur: habes apud Fabrettum [c] Romanos lapides, in quibus cum Severo, & Caracallae, tum Caracallae, & Getae *Domini Noſtri* titulus datur: habes apud Rheineſium veterem epigraphen [d], Maximo, & Albino Conſulibus, anno ſcilicet V. C. 980. C. 227., ut recte Noriſius ſtatuit [e], poſitam *Juſto Equiti ſingulari* D. N. AVG., qui Auguſtus Alexander eſt Mamaeae filius, cujus & alia extat, apud Muratorium Romana inſcriptio [f]: *Herculi Conſer-*

(a) Spanh. l. c.
(b) Bold. Cimit. p. 442.
(c) Fabr. C. III. n. 14. C. IV. n. 497. C. X. n. 107
(d) Rhein. Cl. VIII. n. 37.
(e) Nor. ep. Con. p. 139.
(f) Mur. p. 60. 3.

Conſervatori, *&* *Comiti* D. N. *Severi Alexandri* ſacra, quod magis ſane mirandum, Alexander enim ſi vera narrat Lampridius [a]; *Dominum ſe appellari vetuit*. (a) Lampri. V. Alex. n. 4.

CASTRIS NOVIS. *Caſtra* haec *Nova*, quo urbis loco fuerint, inveſtigabis ſi tibi eſt otium, & ſi vis. Eorum meminit vetus lapis apud Fabrettum [b], ubi *Aurel. Ingenus Eques Sing. Augg.* CASTRIS NOVIS. Huic adde, & hunc alium apud eumdem [c]: (b) Fabr. C. V. n. 246. (c) Ib. n. 76.

M. AVREL. BITHO. EQ. SING. D. N
EX. TVRMA. LONGINI. C. N. NAT
THRAX &c.

Secundâ enim lineâ leges me interprete, *Ex Turma Longini*. CASTRIS. NOVIS. *Natione Thrax &c.* Fabretto ſuſpicanti [d] ſingulares equites gemina in caſtra diſtributos, vel quod grandiorem in numerum excreviſſent, vel ut laxius, & commodius tenderent aſſentior, video enim apud P. Victorem [e] CASTRA *Equitum ſingulorum* II. (d) Ib. p. 388. (e) T. III. AA. RR. p. 52.

NATVS AD AQVAS BALIZAS &c. Similes apud Gruterum [f] formulae: *Antonius Paterio natus in Myſia Superiori Regione Ratiareſe Vico Ciniſco*: *Aurelius Abitus Natione Beſſus natus Regione Serdica* (f) Grut. pag. 521. 7. 526. 3. 527. 7.

dica Vico Magari: Aurelius Dizane natus ex Provincia Moeſia inferiori Regione Nicopolitana Vico Saprisſara. Aquas haſce Antonini Itinerarii (quod unum earum meminit) exemplaria, alia *Baliſſas*, alia, quod Weſſelingius magis probat, *Baſillas*, alia *Bariſſas* vocant, *Balizas* etiam dices lapidis hujus teſtimonio. Quo loco fuerint ex eodem Itinerario diſcimus [a].

(a) It.Ant.pag. 265.

Iter a Sciſcia Murſam.	
Varianis	MP. XXIII.
Aquis Baliſſis	MP. XXXI.
Inicero	MP. XXV.
Stravianis	MP. XXIIII.
Murſa	MP. XXX.

Ex quibus non male collegit Cellarius [b] *Aquas Balizas* collocandas inter Savum, & Dravum, quae Regio a Sexto Rufo [c] Savienſis dicitur: *Amantinis inter Savum, & Dravum proſtratis Regio Savienſis, & ſecundorum loca Pannoniorum obtenta ſunt.* Eaſdem inferiori Pannoniae tribuunt recentiores Geographi, non male, ſi uti ex Ptolemaeo ſtatuit Jordanus [d], Orientales Pannoniae ſuperioris limites infra Sciſciam incipiebant, dein ad lacum Balaton recta ad Arrabonis fluvii divertigium aſcendebant. At

(b) Cell. Geog. lib. III. C.VIII. p. 452.

(c) Ruf. in Bre. p. m. 287.

(d) Jordan. Or. Slav. parte II. pag. 91.

At inſcriptio haec, quae Coccejum ad ſuperiorem Pannoniam pertinere docet, limites hoſce longius fortaſſe protrahere nos coget, ut *Aquas Balizas* in ſuperiori Pannonia collocemus. At cum in *Pago Joviſta* natus Coccejus fuerit, quin Provinciarum limites unius lapidis teſtimonio immutemus, ſic rem componi facile poſſe exiſtimo, ut Pagus ab *Aquis Balizis* aliquot milliariis diſtans ad ſuperiorem Pannoniam, *Aquae* vero ad inferiorem pertinerent: quantum enim conjecturâ aſſequi poſſum in confinio utriuſque Provinciae *Aquae Balizae* ſitae fuerunt. Num vero maneat, quemadmodum Lazius putat [a]: *vetus adhuc nomen* harum aquarum *ruinis, etſi truncatum ad Dravi ripam in eo tractu, quem Zighetum dicunt, Selle Ungari vocant, quatuor a Quinque-Eccleſiis milliaribus*, videant, qui illarum Regionum ſitus melius norunt.

(a) Laz. de R. Imp. p. 1002.

PAGO IOVISTA. Quid Pagus iſte *Joviſta*? Ἐπέχω. Cum *Mutationes Ramiſtam*, & *Suniſtam* eâdem in Pannonia reperiam [b], non aegre mihi perſuadeo eodem in loco non longe ab *Aquis Balizis* Pagum aliquem fuiſſe, cui nomen *Joviſta*.

(b) Itin. Hier. pag. 561.

VICO COC...NETIBVS. Et hìc haeret aqua. Illud tantum affirmare auſim Vicum hunc vel *Co-*

conetes, vel *Cocenetes* ad Pagum ipſum *Joviſtam* pertinere. Neque vero inſolens in lapidibus, ut locus ſive Urbis, ſive Pagi, in quo quis natus eſt ſignetur: ſic Gruteriano in lapide [a] Equitem Romanum *natum in Vico Jugario* reperies. *Cocconis Mutationem* a Murſa MP. LXXV. diſtantem, eâdemque in parte, qua Aquae Balizae fuerunt invenio in Burdigalenſi Itinerario, quod alii Hieroſolymitanum vocant [b].

(a) Grut. pag. 478.1.

(b) l. c. p. 562.

Petavione.

Tranſis Pontem Intras Pannoniam Inferiorem.

Mutatio Ramiſta.

. . . . . .

. . . . . .

Mutatio Suniſta.

. . . . . .

. . . . . .

Mutatio Cocconis.	
Manſio Serota	MP. X.
Mutatio Bolentia	MP. X.
Manſio Maurianis	MP. IX.
Intras Pannoniam Superiorem.	
Mutatio Serena	MP. VIII.
Manſio Vereis	MP. X.


Muta-

Mutatio Jovialia MP. VIII.
Mutatio Merſella MP. X.
Civitas Murſa MP. X.

Num vero ex his ſuſpicandi locus ſit, qui Coccei aetate *Pagus Joviſta* dicebatur, eumdem Conſtantino M., quo imperante itinerarium illud confectum eſt, a *Vico Coconetibus* nomen *Cocconis* adeptum fuiſſe, inquirendum tibi permitto. At ubi haec vera eſſe deprehendas, quod de *Pago Joviſta* in ſuperiori Pannonia ſito paulo ante conjecturâ affirmaveram, mirifice confirmabitur; *Mutatio* enim *Cocconis* in ſuperiori Pannonia reapſe fuit, quamvis auctor itinerarii eam inferiori tribuat; jamdiu enim animadverſum eſt a Valeſio [a], illius operis auctorem Pannoniam inferiorem dicere, quae aliis ſuperior eſt, ſuperiorem vero, quae aliis inferior.

(a) Not. in Am. Mur. lib. XVI. c. X.

...RD. Suppleo HRD., & lego HeReDes, Victor nimirum Frater, & Julius Proculus.



D. M. Germanus Eutychioni De *Suo Memoriae Cauſa. Unum tibi & Solum Deum. Ne me tetigeris.*

Hanc ex vineâ Curtiâ, ubi adhuc extat, dederat Marangonius [a]; emendatiorem cum Regii tui, immo mei diligentiâ nactus ſim, hìc iterum profero. Lineâ ultimâ poſt Θεον aliquid deeſſe manifeſtum eſt. An, ut ego ſuſpicor, Επηκοον ἐυχομαι? *vnum tibi, & ſolum Deum propitium opto* : latine dixiſſes : *Ita tibi unus & ſolus Deus propitius ſit*. An potius, ut tu reris ορκιζω? *Adjuro te per unum, & ſolum Deum*. Aſſentirer, ſi uti gramaticae leges poſtulant, ΣΕ, non ΣΟΙ in lapide legeretur. Neque me ſatis movet

(a) Mar. Anif. Flav. p. 81.

vet Maffei auctoritas, qui *T. Flavii Dionyſii* Epigraphen, quam Montfalconius [a] ita dederat:

ΤΙΤΟΣ ΦΛΑΒΙΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΕΝΟΡΚΙΖΟΜΑΙ

ΟΙΤΟΝ ΣΕΒΑΣΤΙΟΝ ΟΡΚΟΝ ΜΗΔΕΝΙ ΕΞΟΝ &c.

atque interpretatus fuerat: *Titus Flavius Dionyſius adjuro per mortem, quod eſt venerandum Sacramentum &c.*, ex emendatiori, ut ipſe putat ἀπογραφῷ ſic legendam, explicandamque arbitratur [b].

ΤΙΤΟΣ &c. ΕΝΟΡΚΙΖ ΟΜΑΙ ΣΟΙ ΤΟΝ ΣΕΒΑΣΤΙΟΝ ΟΡΚΟΝ &c.

Titus &c. adjuro te venerando Sacramento, non me inquam ſatis movet, quid enim eſt, adjuro te *venerando Sacramento*, eo omiſſo, per quod quis alterum adjurat? Nullum hic perjurii periculum, cujus rei metu Deorum nomina in juramentis a veteribus quandoque omiſſa, ex Pindari Scholiaſte tradit Laurentius [c]. At per Mortem, inquies, veteres adjuraſſe credis? Quidni? cum Deam habitam fuiſſe Mortem ſciam; cui Lacedaemone ſimulacrum [d], & Templum [e]; & Feſti apud Gaditanos Paeanes [f]. Ut ſera ſcilicet veniret, & tarda.

ἀλλὰ μάκαρ μακροῖσι χρόνοις ζώης γε πελάζειν
αἰτοῦμαι θυσίαις, καὶ εὐχωλαῖς λιτανεύων
ὡς ἂν ἔοι γέρας ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισι τὸ γῆρας.

Quare Sancta veni longo poſt tempore vitae

Quod

(a) Montf. Diar. Ital. p. 424.

(b) Maff. Artis Crit. p. 124.

(c) Laurent. de RR. PP. C. IV.

(d) Pauſ. li. III. c. 18.

(e) Plutar. in Cleom.

(f) Philoſ. V. Apol. lib. V. C. IV.

Quod te ſuppliciter Sacris, Votiſque precamur
Ut felicem habeant homines placidamque ſenectam

(a) Orph.Hym. Mortis.

inquit Orpheus (a), ſeu quiſquis ſit auctor Hymnorum, qui Orpheo tribuuntur. Quid ſi, uti de Gaditanis ſuſpicatur Bochartius (b), *Mortis* nomine *Plutonem*, quem Phoenices *Muth* i. e. *Mortem* dixiſſe ex Sanchoniatone novimus, Titus ille Flavius intellexit? An non tunc *venerandum juramentum* dici jure potuit. Inferna numina in hiſce obſecrationibus uſurpata, non eſt cur te doceam. Noſti Pompejum illum Muratorianum (c). *Per Deos Stygios rogantem ne quis ejus oſſa violaret &c.* Quamquam, ut ad inſcriptionem noſtram redeam, novi Epitaphio-graphos grammaticae leges ſaepius contemnere; licebit per me legas: *Adjuro te per unum, & ſolum Deum.*

(b) Boch. Canaam. lib. I. c. 34. pag. 675.

(c) Mur. p. 932. 2.

(d) Joa. XX. 17.

ΜΗ ΜΟΥ ΑΨΗ. Similis ferme apud Joannem (d) formula μή μου ἅπτου. Sic apud Muratorium chriſtiana femina (e): *Rogo te per Deum omnipotentem, & Jeſum Nazarenum, ne me tangas, ne ſepulcrum meum violes, nam ante Tribunal aeterni Judicis mecum cauſam dices.* At non idcirco Eutychionem hunc noſtrum chriſtianum reor: eadem ethnicis cura, & ſollicitudo, neu quiſpiam quietos in ſepulcris cineres

(e) Mur. p. 439. 2.

res turbaret: paullo fortaſſe graviora illa *unum*, & *ſolum Deum*: ſed neque haec ſatis id evincunt, non hoc primum unius, & ſolius Dei teſtimonium ab Ethnicis hominibus vis veritatis extorſit; audi Sophoclem apud Juſtinum Martyrem [a]. *Unus*, graeca omittam, ut brevior ſim.

(a) Juſt. M. Par. ad Graec. n. 18.

Unus profecto eſt, unus eſt tantum Deus:
Qui Coelum, & amplum condidit terrae globum,
Mariſque fluctus, vimque ventorum gravem.
Plerique noſtrum mente, ſed capti Deûm
Simulacra nobis, ceu mali ſolatium
Cum ſaxea, atque acerna conſecravimus:
Sive aureas eburneaſque imagines:
Sacris, & iſtos colimus: his feſtos dies
Agimus: pios hoc eſſe nos remur modo &c.

Sed de his ſatis, tu quid agas, quid de Vinariis mediteris, ut ſciam cura. Vale.

Data XIV. Kal. Nov.

SPECIAL 93-B
5077